



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

Aprilis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

**I** Maginem Davidis in W A L E R I C O agnosces: nam & hic puer pastoritiam exercuit, & oris testudine totum Psalterium canere nullo didicit magistro, dignus & ipse, qui è caulâ in aulam, vel aulâ dignius Carnobium assumeretur, ubi nullam Saulis lanceam timeret. Tantum apud Deum potuit, ut plantaria colenti nulla unquam eruca fata & brassicas læderet; neque vermiculos solum, sed aves etiam ita obsequentes habuit, ut ex manu ejus pranderent cœnarentque. Rigente brumâ ædes Sacerdotis foco fovendus subierat, quem aliis, quàm vellet, calere ignibus sensit. Sacerdos enim & loci Præfectus unâ tum fortè pridentes, Venerem prætextatis verbis nominare ausi, cor W A L E R I C I dolore exussere. Abeunte Divo, mox Dei vindicta subiit: Sacerdos oculis captus est, Præfectus lentâ foedâque morte contabuit, longas ambo linguæ lascivæ poenas daturi. Eâ sub arbore tumulari denique W A L E R I C U S voluit, sub quâ Deo supplicare vivus consuêssit, ratus benè ibi corpus quiescere, ubi benè vixisset. Et verò cubare se molliter manifestè ostendit; ne in Aram quidem à sancto Bernardo invitatus migrare sustinuit. *Ex Surio.*

*Kaces.*

S. FRANC. DE PA...



2. April. VITÆ SANCTORUM. 213

*Faceſſat ab ore Militis Chriſti omnis vani rumoris ineptia, & lingua, quæ immaculati Agni, imò ſummi Verbi rubet ſanguine, dedignetur otioſi ſermonis ſeſe faci- bus inquinare. S. P. Damian. l. 6. Ep. 26.*

S. FRANCISCUS DE PAULA.

2. Aprilis.

**F**RANCISCUS DE PAULA decimo tertio ætatis anno, à parentibus ex voto ſancto Franciſco conſecratus, momente Deo, novam Religionis familiam Minimorum nuncupandam condidit. Piorum ope ædiculam ſacram molientem ſanctus Franciſcus monuit, ut anguſtiis illis prolatis, ampliorem faceret: impenſas cauſantem fidere Deo juſſit; muris ergo dejectis, mox ab homine copioſo magnam vim auri in opus accepit. Cùm virtutibus omnibus abundaret, ardebat tamen charitate maximè, quæ ad illum cælo defluxit globo igneo inſcripta, ejus teſſera futura & Ordinis inſigne. Ea flamma cùm totum hominem corripuiſſet, nihil mirum eſt, arden- tes deinde titiones impunè tractaſſe, ſubiſſe caminos, cibos quin adeò abſque foco ſolâ Charitatis flammâ percoxiſſe: ſed animos hominum eodem incendio ambuſſit, & extremis odiis diſſiden- tes non alio ferrumine colligavit, arti- ficioſus in miracula ſancti Amoris.

O 3

Ut




APRILIS

S. FRANC. DE PAVLA. C. 2.

S. CATHAR. SE...







2.  
ni  
cu  
gu  
bu

**F**  
vo  
ne  
lia  
di  
lie  
an  
re  
ju  
m  
ac  
da  
q  
in  
in  
m  
to  
b  
f  
f  
a  
t  
t



2. April. VITÆ SANCTORUM. 213

*Faceſſat ab ore Militis Chriſti omnis vani rumoris ineptia, & lingua, quæ immaculati Agni, imò ſummi Verbi rubet ſanguine, dedignetur otioſi ſermonis ſeſe faci- bus inquinare. S. P. Damian. l. 6. Ep. 26.*

S. FRANCISCUS DE PAULA.

2. Aprilis.

**F**RANCISCUS DE PAULA decimo tertio ætatis anno, à parentibus ex voto ſancto Franciſco conſecratus, momente Deo, novam Religionis familiam Minimorum nuncupandam condidit. Piorum ope ædiculam ſacram molientem ſanctus Franciſcus monuit, ut anguſtiis illis prolatis, ampliorem faceret: impenſas cauſantem fidere Deo juſſit; muris ergo dejectis, mox ab homine copioſo magnam vim auri in opus accepit. Cùm virtutibus omnibus abundaret, ardebat tamen charitate maximè, quæ ad illum cælo defluxit globo igneo inſcripta, ejus teſſera futura & Ordinis inſigne. Ea flamma cùm totum hominem corripuiſſet, nihil mirum eſt, arden- tes deinde titiones impunè tractaſſe, ſubiſſe caminos, cibos quin adeò abſque foco ſolâ Charitatis flammâ percoxiſſe: ſed animos hominum eodem incendio ambuſſit, & extremis odiis diſſiden- tes non alio ferrumine colligavit, arti- ficioſus in miracula ſancti Amoris.

O 3

Ut



Ut cum fratribus duobus pomiferæ arboris causâ inimicitias inter se alentibus, arborem dissilire mediam iussit, neuter ut uno pomo esset ditior; vel cum pauperum causam apud Regem aucturus, numum aureum inter digitos diffregit, ex quo cum sanguis copiosè manaret, inopum eum esse dixit, qui acerbis exactiõibus exigerentur. Hâc denique virtute ad cælum subvectus est anno M. D. VII. eâdem fiduciâ aërem transvolans, quâ olim mare pallio suo instratum enavigavit. *Ex vitâ.*

*Quàm pulchrum est, quàm decorum, vulnus à Charitate accipere. Alius jaculum carnei amoris accepit, alius terreno cupidine vulneratus est; nuda pectus trinum, & præbe te jaculo formoso; siquidem DEUS sagittarius est. Orig. hom. 2. in Cant.*

## S. GENOFFEA PALATINA. 2. April.

**G**ENOFFEA Brabantia Ducis F. Sifridi Comitis Palatini conjux, post votum DEIPARÆ factum filium enixa est, id temporis Sifrido in Syriâ agente. Interea Golo, qui pro Duca Rempub. administrabat, cum pudicitiam sæpe sapius GENOFFEÆ necquicquam tentasset, ut scelus scelere tegeret, apud reduceem Principem in suspicionem eam adduxit, ac si alieno ex toro filium sustulisset. Matris continuò crimen cum matre & puero



ro aquis jubet margi. Sed mitiores domi-  
no famuli, cum in silvas utrumque expo-  
suisent, domi se imperata peregrisse ad-  
simularunt. Nec defuit etiam inter silvas  
afflictis miserorum MATER, sed cer-  
vam misit, quæ statâ horâ quotidie in-  
fanti ubera præberet. Annus agebatur  
orbis restaurati DCCCL. exilii GENOFE-  
FÆ V. cum Sifridus, dum feras quærit  
in homines offendit, in iis conjugem &  
natum, in utroque crimen suum agnos-  
cit, VIRGINI verò SOSPITATRI-  
CI id loci templum struit: ut si ejus be-  
neficia urbes taceant, vel silvæ loquantur.  
*Ex Molano.*

*In quacunq; hominum verseris frequen-  
tiâ, cave aliena conversationis esse aut cu-  
riosus explorator, aut temerarius iudex:  
& si actum quid deprehendes, nec sic iudi-  
ces proximum, magis autem excusa. Bern.  
de duod. grad. Hum.*

S. MUSA VIRGO. 2. Aprilis.

**E**Rat M u s a virgo Romana, rarum,  
at breve teneræ ætatis miraculum,  
cujus lecto nomine, cave citharam cho-  
tòsve cogites, nullæ occurrant Pieri-  
des; vitæ severitatem, verborum mo-  
derationem, animi recessum discite.  
Quiescenti olim Deipara, denso virgi-  
num sacrarum agmine cincta, se obtulit;  
omnibus in vultu nitox solis, in veste

O 4 candor



216 VITÆ SANCTORUM. 2. April.  
candor nivis. Et Regina quidem eam af-  
fata: Comites, inquit, meas dote virgini-  
tatis filii mei connubium promeritas vi-  
des? augebis tu numerum, si moribus ma-  
tronam potius quàm puellam præstite-  
ris, & infantia senilem miscueris tem-  
perationem. Nihil, quo pares leviter  
exultant, amabis. Religioni risum, jo-  
cum sceleri duces. Ad honesta oculis, ad  
interrogata verbis. Ad necessaria ma-  
num, ad iussa gradum movebis. Sic ef-  
ficiam ut trigesimo die voti compos fias.  
Sub hac ita mutata est *Musa*, ut sollicito  
parentum oculo non indigeret, ex quâ tot  
gravitatis peti argumenta poterant. Ita-  
que interrogare subiit novi moris cau-  
sam: quam filia nocturni visi commemo-  
ratione attonitis indicavit. Quinto inde  
ac vicesimo die febris corripitur: trigesimo  
Deiparâ *Musam* evocante, illa gestiens  
iterat, *Ecce Domina venio*, & cum voce  
hinc abiit; vobis quoque, qui *Musas*  
colitis, Ducem præbitura se, monitura-  
que cælum ambientibus morum levita-  
tem oneri esse. *Ex l. 4. Dial. S. Greg.*

*Ut Deum contempleris factus es; non ut  
humi erreat vita tua; non ut pecudum ri-  
tu voluptate perfruaris: verius ut ad nor-  
mam & institutum caelestis vite tuam  
ipsius componas. S. Basil. hom. II. in  
Hexem.*

S. R. I.



## S. RICHARDUS EP. 3. Aprilis.

**R**ICHARDUS natione Anglus fratris inopiam servilibus ministeriis voluntate susceptis, levavit, eidemque paternâ hæreditate, pactoque nobilis & opulentæ virginis matrimonio cessit. Dum litteris navaret operam, nullo certo vivendi præsidio, communi cum Sodalibus duobus pallio, vivissim scholas aditurus utebatur. In Episcopatus fastigium evehctus, cum honore, ut assolet, non mutavit morem, paupertatē à se fugientem velut elapsam bonam fortunam insecutus: aureis quippe argenteisque vasis in pauperum annonam expensis, præstare dicitabat, fictilibus, more parentis, cœnare, quàm Christum egenorum turbâ repræsentatum esurire. Uno pane mille homines saturavit, Deo voluntati benefaciendi facultatem suggerente. Aliquot suarum domorū incendium restrictæ ad largiendum manus vindictâ est interpretatus; & quos multi convicio à se manūque rejiciunt inopes, tanquam accepturus, non daturus beneficium, ad petendū blando affatu excitabat: cujus facti rationem postulatus, illud ex divinis literis protulit: *Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Sub mortem notum Deiparæ cultoribus carmen à Sacerdotibus lectulo adstantibus iterari voluit:

O 5

Maria



218 VITÆ SANCTORUM. 3. April.

Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, Et horâ mortis suscipe.

Immortuus est sacræ crucis complexibus ad annum M. CC. XLV. *Ex Surio.*

*Dic mihi, ubi nunc amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? quid ex eis remansit, nisi cineres & vermes? Attende quid sunt, quid fuerunt? homines fuerunt, sicut tu, comederunt, biberunt, riserunt & in puncto ad inferna descenderunt. Bern. l. Med. c. 2.*

S. JOSEPHUS POETA C.

3. Aprilis.

**J**OSEPHUS avi sui Poëta clarissimus Thessaloniciæ & Byzantii vitam egit, qualem agere Musæ amant, à mundi turbis semotam. Parnassus ei cella, lectus terra: cibus panis, potus aqua fuit nam hâc, & non mero fluere Hippocrenen noverat. Hic ille sacrorum vatuum monumenta lectitare, in vota non vana Poëtarum nomina, Sed Numen vocare, atque ita demum pleno ore Calites canere. Porro in D. Bartholomæi laudes iturus, cum evocare omnes ex Helicone Musas gestirer, meditabundo ipse Divus adesse, & libro pectori admoto bene precari visus est. Non è Parnasso, sed cælo hoc fuit somnium. Nam deinceps versus **J**OSEPHUS non fecit, sed fudit,  
ut



4. April. VITÆ SANCTORUM. 219  
ut qui exciperent, jam olim ad omnes  
ungues examinatos, nunc è memoriã  
tantum promi autumarent. Itaque Im-  
peratoribus etiam gratus, non potuit ta-  
men, quin in exilium secundo pellere-  
tur. Sed quia causam habebat cum Deo  
communem, etiam hîc Poetarum inge-  
niosissimum vicit, loco que ac muneri suo  
semper restitutus, demum immortalis  
laureã donandus ad Mecænates suos abi-  
vit Superos. Hos omnes, quos quidem  
versu laudavit, ad exequias Poëtæ sui  
confluxisse, S. Theodorus ab iis ipsis  
rediens cuidam ad tumbam suam sup-  
plici narravit. Tantum refert, scire quos  
laudes. Nunc dum non laudanda in mun-  
do laudant Poëtæ, quod pretium ferunt,  
nisi ut splendide diu mentientibus mun-  
dus splendidius mentiatur, & post mul-  
tas fabulas ultima & longissima fabula  
ipsimet fiant? *Ex Menæis.*

*Sicut ignis in lignis viridibus suffoca-  
tur, ita sapientia in adolescentiã tentatio-  
nibus & libidine impedita non explicat  
suum fulgorem, nisi labore, & studio, &  
oratione incensa juvenutis repellantur.*  
S. Hier. ad Nep.

S. JOSEPHUS - HERMANNUS. C.

4. Aprilis.

**H**ERMANNUS septem anno-  
rum puerulus cœpit inter ultimam  
rerum



220 VITÆ SANCTORUM. 4. April.  
rerum omnium inopiam Musas, sed præ  
Musis impensè MARIAM colere. Eam  
cùm in templi oedeo ludentem cum *Filiolo* & D. Joanne vidisset, dextrâ *Virginis* in societatem accitus, homo Superis collusit: puto ut cælum ostenderet, quis maximè ludus studiosum adolescentem deceret. A ludo saxum monstravit *Patrona*: unde quoties egeret, nummos promerer. Ita Mecanate cælo usus, simul annum XIII. fuit ingressus, mundo est egressus, & candidum Præmonstrati Ordinis habitum Steinfeldiæ suscepit; ratus longum cæli iter adolescentiæ maturè ineundum esse. Inter religiosæ vitæ studia tam amor in HERMANNO MARIÆ, quàm HERMANNI in MARIA crevit, ut eum primum amantissimo JOSEPHI nomine donaret, tum deinde in Sponsum deligeret, dotemque in manus omnes cæli devitias *Filium* daret. Aegritudinis illius complures suâ manu absterfit. Tristi orem, quòd muniis aliis distractus precibus vacare non posset, monuit, plus apud Superos sollicita in alios studia quàm quieta inter preces suspiria mereri. Quoties genii supplex MARIÆ nomen venerabatur, toties omnibus perfundi sibi odoribus visus est. Cælo hiemante litantis manus, ne à frigore offenderentur, JESUS & MARIA fovebant, duo utique calidissima sidera. Corpusculum mortui ut supra



4. April. VITÆ SANCTORUM. 221  
pra terram semper, ita etiam sub terrâ  
diu integrum misit; an quia odoribus,  
quos memoravimus, illud condivit? Ex  
Suvio.

*Ecce parvulus in medio statuitur: studeamus effici, sicut parvulus iste: discamus ab eo, quia mitis est & humilis corde? ne magnus videlicet Deus sine causa sit factus homo parvus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus. S. Bern. ser. 3. sup. Missus.*

SS. THEODULUS & AGATHOPUS  
MM. 4. Aprilis.

**N**emo vel citò vel serò nimis calidam ingreditur, si quidem ingreditur. Juvenis ætate THEODULUS, senex AGATHOPUS, parili tamen cursu per Martyrum stadium cucurrerunt, anno à Christi ortu quarto supra trecentessimum. Et THEODULUS quidem ante cursum, bravium (certè arrham bravii) scribitur è cœlo annulum accepisse, qui artificis cœli manum crebris miraculis, quibus omnes passim morbos pellebat, laudavit. Porro cùm intra carceres ambo adhuc consisterent, in somnis ab ipso Numine sunt animati, ipsi verò ad fidem exemplo suo adductos alios animarunt. Postridie ad virtutis theatrum (tribunal tyranni) tracti in ruborem hunc, in lassitudinem tortores dederunt. Eâ, quæ secuta est, nocte, iterum



222 VITÆ SANCTORUM. 5. April.  
rum carceribus clausi, idem uterque in  
somnia somnium viderunt. Naufragium  
sibi facere videbantur, sed auspiciatum il-  
lud, & nimium fortunatum: quod ca-  
cteris quidem, quorum longè plurimi  
erant, fluctu haustis, ipsi nescio in quem  
montem cælo contiguum evasissent, can-  
didus ibi vestibus ornati. Somnium hoc  
dies explicuit. In mare cum saxis ap-  
pendisibus abjecti ipsissimum Olympum  
subierunt. THEODULUS deinde  
multâ luce candidus, inde ad suos re-  
vifit, quod testamentum facere esset  
oblitus. Dixit ergo heredes omnium  
pauperes, & te quoque inter hujus te-  
stamenti executores hodie cupit habere.  
*Ex Metaphr. apud Surium.*

*Navicula Christi nunc tollitur ad cælum,  
nunc in trepidationum ima descendit: nunc  
Christi regitur viribus, nunc formidine ja-  
clatur: nunc operitur studibus passionum,  
nunc confessionum remigiis enatat. Sed  
nos iterum atque iterum clamemus Do-  
mine salva nos; Perimus. S. Chrysol.  
ferm. 20.*

S. VINCENTIUS C. 5. Aprilis.

SANCTUS VINCENTIUS antiquâ  
Ferrerorum familiâ in Hispaniâ na-  
tus, primis statim annis documenta edi-  
dit Magisterii pietatis, quod vir exercuit,  
jam puer inter pueros Magnos Orator.  
Ea



Ea initia egregiâ indole ac literarum  
eximio profectu fecit auctiora, omnem  
libertatem pertasus, quæ levitatem ole-  
ret. Ingressus S. Dominici familiam, &  
Christi aspectu, morbo levatus, ejus im-  
perio populos ad pœnitentiam evocare  
institit, tam strenuè quidem, ut satis con-  
stet Judæorum viginti quinque millia,  
totidem ferè Saracenorum, Christo ejus  
operâ conciliatâ; Christianorum centum  
viginti millia eidem reconciliata: publi-  
cis flagitiis infamium quadraginta millia  
ad innocentiam reducta. Ardorem di-  
centis inde intelligas, quòd capitalia au-  
sos cum ad furcam comitaretur, oratio-  
ne primùm effervescente, mox collique-  
scere, denique in cinerem exarescere coë-  
gerit felicissimo supplicio amoris extin-  
ctos. Tot spoliis Orco abactis triumphan-  
tem mirum non est, si Styx odit, & spo-  
liare castitatis gemmâ contendit, quan-  
tumvis irritò conatu, quòd in Magnæ  
Matris tutelâ esset, quæ suo pugili adsti-  
tit, & victorem rude donavit, in nos quo-  
que exemplum repetitura, si cum *Vincen-  
tio* vincere vellemus. Acta olim furiis ma-  
ter, ac proli suæ iniqua infantem in mul-  
tas partes secuerat: has collectas vir san-  
ctus integritati vitæque restituit, post dæ-  
monem etiam de morte triumphans,  
quæ proinde obstruere viam huic sideri  
non potuit, quo minus ad cælum anno  
M. DC. XVIII. ferretur. *Ex Sur.*

*Ad*



*Ad evitandas diabolicæ pugna molestias valenter assurgemus, si necessitatis ultimæ periculum providè pertractemus: nam si repentinus ille atque terribilis adventus Christi perpenditur, quid erit in mundo, ubi mens humana delectetur?*  
S. P. Dam. l. 1. ep. 19.

S. IRENE V. M. 5. Aprilis.

**I**RENE S. Anastasiæ famulabatur, conditione, non item virtutibus Heræ impar. Unà cum duabus sororibus ad tribunal rapta est immitis Dulcitii, quodque magis timendum fuit, etiam lascivius profuit innocentibus, quod amor in furorem abiit, qui Dulcitium ad dissuaviandas ollas impulit, quarum fuligine deformatus cæcus amator, bacchatusque per urbem populo ludos præbuit. Sed neque cum denudari virgines mandasset, vestes corporibus eripi ullâ vi potuere; Pugnante pro iis, & togas retinente mordicus pudore. Fornace deinde (Babyloniam dixisses) conclusæ IRENES sorores, inter flammaram blanditias verius quàm tormenta, mortem somni similem, illæsis corporibus, oppetierunt. IRENE verò ardentiores etiam ignes evasit; in lupanar quippe Veneris fornacem per vim intrusa, ab Angelis sub militari habitu latentibus, illibatâ virginitate, inde educta est, & in montem ablata,



6. April. VITÆ SANCTORUM. 225  
ablata, extra telii quidem Cupidinis ja-  
ct. m, non æquè tamen furentis adhuc  
Dulcitii posita; ab hoc enim celeriter in-  
sequente, eminus sagittâ transfixa est vo-  
lens lubensque, & amorem suum Numi-  
ni saucio pectore testatura, mox in ejus  
complexum à cælestibus Paranymphis  
domum, id est cælum, deducta; anno sa-  
lutis CCC IV. Ex Actis S. Anastasiae.

Mox ut germinare inceperint fœda cogi-  
tationes, compunctionis gladio interimat  
ipsas, qui cordis sui JESUM cupit habere  
possessorem, virilem super se adhibeat custo-  
diam, quâ nec seducatur nec alliciatur.  
S. Laur. Iust. de Cast. Conn. c. 33.

S. GUILIELMUS C. 6. April.

GUILIELMUS domi nobilis, Hugoni  
Abbati, apud Parisienses, à parenti-  
bus ad omnem pietatem informandus  
traditus est. Nec abhorrebat à discipli-  
nâ pius animus, quâ comite feliciter in-  
literis progressus, facile superabat æmu-  
los, quibus ob morum integritatem fa-  
stidio fuerat. Patebat multorum invidia,  
quam ille æquo animo perferens, nihil  
alienum à virtute patrabat, quæ sedem  
firmam in pectore ipsius jam fixisset.  
Dubius quo vitæ genere virtutis studia  
decurreret, monente tandem serverius  
Odone abbate, & objectâ Christi  
crucifixi in vitreâ fenestrâ depicti  
pecie,



226 VITÆ SANCTORUM. 7. April.  
pecie, pectori ejus faces subdente, in reli-  
giosam se familiam recepit, in quâ cale-  
stibus promissis ascensus, ita probavit  
aliis, ut Roschildensibus perasciceretur  
Abbas. Et quia pii omnes adversis exer-  
centur, nequaquam ab iis vir sanctus exi-  
mius fuit, cæli nihilominus deliciis su-  
stentatus. Gravius decumbenti S. Geno-  
vefa virgo solamen & morbo medicinam  
attulit. Morituro denique. Reparator no-  
ster, Sanctis comitatus, conspicuum se  
fecit, scilicet ne mortis larvâ terreretur.  
Cælum Anno M. CC. II. subituro para-  
rum solium ejus discipulus vidit, coro-  
namque, rarum opus & Angelorum ma-  
nibus elaboratum; sed gemmas GUILTEL-  
mus suppediravit, virtutes suas, quarum  
nos nomina fortasse scimus, & subinde  
de pretio disputamus, sed subterfugimus  
patientia scilicet pellum, sine quo nulla gem-  
ma calatur. Ex Suario.

*Christus sit confabulator tuus: Christus  
sit contubernalis tuus & convivæ; imò  
Christus ipse sit tuæ deliciæ, ipse quoti-  
dianæ refectiois epulum, ipse cibi sit in-  
zime dulcedinis alimentum. S. Pet. Dam.  
l. 7. Ep. 6.*

S. CALLIOPIUS MART. 7. Aprilis.

**C**ALLIOPIUS eximiâ sanctitate  
juvenis ad agenda Liberalia ab im-  
piis invitatus, liberè abnuit, nefas esse  
Chri-



Christianis dictitans, insanire cum ratione. Præfectus urbis Maximus extrema primùm comminatus, cùm nihil obiectis terroribus profecisset, versus ad blanditias, velut in dotem invitamentumque sceleris filiaë matrimonium promisit. Eam conditionem generosiùs etiam respicientem plumbatis contundi nervisque crudis foedè laceratum, in rotam jubet innecti, curvaturâ cultris obarmatâ, rogoque juxtâ validè flammante. Utriusque tamen metum discussit Angelus, qui & ignem oppressit, & rotæ volubilitatem conversionesque stitit. Theoclia mater, audito filii casu, in carcerem ad filium penetrat, vulnera obligat, gratisque vocibus prædicat, quòd Martyrem peperisset. Noctu inter precandum cælesti voce confirmantur. Damnato denique ad crucem *Calliopo*, mater pretio lictores obstrinxit, ut situ inverso statuerent crucem. Mira feminaë virtus in comparationem Machabææ vocanda. Ad supplicium velut triumphantem prosequitur, in cruce tanquam solio filium spectatura. Pendentem cælestis nuncius ad æternitatis gloriam evocavit mater amplexu stringens exanimam, pignus præmissum ad Superos filium è vestigio est insecuta. *Ex Metaphr. & Baron. in Not.*

*Perpende & invicem confer tribulationem & gloriam; momentaneum & æternum; leve & pondus; gaudere & exultare.*



228 VITÆ SANCTORUM. 7. April.  
quia quod tribulationis sustinens, momentaneum est, quod gloriæ præstolaris, æternum est; leve est, quod toleras, pondus, quod expectas. S. Petr. Dam. l. 8. ep. 6.

S. AIBERTUS C. 7. Aprilis.

**A**IBERTUS stans à puero precationibus somnum distinguebat. Terram, originis memor, frequenter osculabatur: finemque respiciens, modico alimento moriturus utebatur. Cùm vitam S. Theobaldi Poëtici vincam numeris à vano homine demisset alius in pectus, in loca primùm sola recessit: Aquilæ deinde specie cucullum sibi offerentis excitatus, ad Monasticen se vocari intellexit; demum in solitudinem rediit finemque arctioris vitæ initiis æquavit. Ibi cùm, aditu aquarum eluvionibus obsessus, vitæ necessariis arceretur, Deipara virginum choro cincta buccam panis in os AIBERTI indidit, quâ exinde cibi inopiam annis duobus & viginti, duobus minus bibendi desiderium sustentavit. Cilicio corpus, inò innocentiam tegebat; neque enim castitas tutius habet involucrum. Centies quotidie procumbens, verba divinæ ad Deiparam legationis iterabat. Scamno solove somnum excipiebat, ingratum naturæ exactorem & pretiosi temporis furem multandum, non mulcendum  
exi-



8. April. VITÆ SANCTORUM. 229  
existimans. Multos à devio in semitam  
virtutis, histrionem adeò, cujus quon-  
dam odæ mutandi statûs occasionem  
præbuerant, revocavit; facilis audiendis  
pœnitentium criminibus, plusque patris  
quàm judicis adferens ad tribunal. Vitâ  
ad hunc modum in annum quinquagesi-  
mum prolatâ, rebus humanis eximitur  
anno M. C. XXIV. & nunc quoque non  
nisi uno cibo pascitur, A S P E C T U D E I.  
Ex Sur. & Lippel.

*Inter pressuras & arumnas ad illum  
semper oculos erige, qui te paratus est, post  
flagella, dulcedinis suæ gremio conforere;  
qui te post turbines & procellas in supernæ  
quietis amœnitate constituet, & ab oculis  
tuis lacrymas linteo consolationis abster-  
get. S. Dam. l. 8. ep. 6.*

S. WICTERPUS EPISC. 8. Aprilis.

DE WICTERPO Gallia contendit &  
Bojaria. sed cælum pridem litem di-  
remet, cum sibi illum vindicavit verior  
patria. Pontifex Augustæ, fundum,  
quèm ad Julias suaves habebat, Eprati-  
cum, DD. VIRGINI & Laurentio do-  
navit, locumque eum velut ad sanctio-  
res ferias Tusculum habuit, frustra  
Henrico Antistite etiam mortuum inde  
auferre adnitente, cum vel MARIA  
WICTERPUM suum nollet dimittere,  
vel WICTERPUS à MARIA suâ  
P 3. nol-



230 VITÆ SANCTORUM. 8. April.  
nollet recedere. Templum quoque D. A-  
fræ, quæ inter Hungarorum populatio-  
nes alteras penè flammis passa est, è ci-  
neribus in pristinum splendorem erexit.  
Vos qui sacra manibus tractatis, unum  
audite & exhorrescite. D. Herluca vir-  
gini à morte tam fuit familiaris, ut  
quoties ferè ad epulum sacrum iret, co-  
mes iret aut dux WICTERPUS. Fortè  
solum Herluca se credidit inter preces.  
Sed sola non fuit. Adfuit cum WICTER-  
TO CHRISTUS, triste oculo amantis spe-  
ctaculum & verbo ipsissima Pilati scena.  
Nihil hic, tantùm lacrimæ & gemitus  
loquebantur, & nimirum tot ora quot  
vulnera clamabant. Illud etiam Wic-  
TERPUS ad Herlucam addidit: *Ad  
hanc formam Sponsi expallefcis soror?  
illa; emorior. Ille iterum: Cupis ab oeu-  
lis theatrum crudelitatis hoc amotum? illa  
iterum: ah! percipio. Ergo, subjicit  
WICTERPUS, oculos nega Richardo  
sacrificanti, cujus impuritas carnifex est  
sponsi tui. Audiit, abstinuit ab impuri sa-  
cris, idemque ut vulgus faceret, auctor  
fuit. O xtas nostra! ô sacra! ô Sacerdo-  
tes! eja dicite; oculos hominum à vo-  
bis si ablucent Superi, quibus ipsi vos  
aspicient, nisi iratis? Ex Bar. S.*

*Si non solùm anima, sed & corpus no-  
strum templum est Spiritus S. quomodo is,  
cui prohibetur carnale commercium, non  
violat templum D. i, dum semetipsum petu-  
lant*



9. April. VITÆ SANCTORUM. 231  
lanti luxuria prostibulum constituit, Spiritum S. in quo signatus fuerat abiecit, spiritum libidinis in se introducit? S. P. Damian. l. 4. Ep. 3.

S. MARIA ÆGYPTIACA. 9. Aprilis.

Audite omnes apud divinum tribunal rei. Patronam si Matrem Judicis habetis, causam peractam habetis. Certè causâ laboravit illa MARIA, cui nomen Ægyptus dedit, & tamen hâc non cecidit, ubi melior MARIA peroravit. Quid enim? nominis illa sui oblita, ut voluptati litaret, pudorem non venalem, sed gratis omnium libidini exposuit: quin festo Exaltatæ Crucis die, cum Hierosolymam Orbis conflueret, ausa est velle ibi infanda Veneris sacra publicare. Sed molientem ter pedem impurum templo inferre, ter repulit vis arcana. Quid MARIA? ad MARIAM? abit. quid agis misera? Veneri patrocinari vis Virginem? O quid apud Matrem non possunt lacrimæ? quid non lac Matris apud sanguinem potest FILII? orat illa; exorat iste: absolvit Judex admisam, quam absentem damnaverat. Sed audite pœnitentem, qui peccantem inspicitis. VI. annis supra XL. eluit lacrimis feras inter, quidquid inter homines peccaverat, semper oppugnata ab Orco, semper victrix, Virginis auxilio,



232 VITÆ SANCTORUM. 10. April.  
nulli hominum nisi Zosimo visa. Is divi-  
no ductu ad eam venit, & vitæ seriem,  
quam dedimus, audivit; cum sacro dein  
epulo revisit, quod ut caperet M A R I A,  
per Jordanem sicco vestigio advolavit.  
Ita puram cum undæ jam probassent, se-  
cundò redux defunctam in arena offen-  
dit: anxio verò de sepultura leo superve-  
nit, & fossam unguibus dedit, æternum  
non tam pœnitentis, quàm miserantis  
M A R I A monumentum. Ex vit. PP.

*Si criminum immanitate turbatus, si con-  
scientiæ sceditate confusus, si iudicii horro-  
re perterritus, si baratho desperationis ab-  
sorptus es, Mariam cogita, Mariam invo-  
ca: non recedat à corde, non recedat ab ore.*  
S. Bern. serm. sup. Missus.

#### S. MACARIUS PATRIARCHA.

10. Aprilis.

**M**ACARIUS Armenus Patriarcha  
Antiochenam sedes beavit, sed mul-  
tò magis pauperes, quos unos illi domi-  
ni Palatinos, foris antambulones ha-  
buit. Ob id, & quæ jam tunc patrabat  
mira, ne in ore omnium esset, omnium  
oculos fugit, & sub quo lateret igno-  
bilis, sepulchrum Christi petiit. Sed Sa-  
racenorum scelere ad ipsa ossa usque lace-  
ra virtus, & tribus clavis pavimento af-  
fixa, pressaque pectus ignitò saxo, ut ferè  
solet, se ipsa podidit: prodidere Angeli in  
auxi-



10. April. VITÆ SANCTORUM. 233  
auxilium missi, ipsique jam hostes MACA-  
R IUM, & quod caput est, in M A C A R I O  
DEUM agnoverunt. Interea parentes suum  
esse dedecus arbitrati, orbam filii infulam  
filiumque exulem videre, mittunt, qui aut  
verbis, aut vi adducant. Et jam parabant  
hanc illi. Sed cælo pugnante capi oculis  
manibusque, quas ad facinus extenderant,  
MACARIO se dediderunt. Hic cruce, quæ  
illi scipionis loco serviebat, oculos & ma-  
nus reddidit, itaque expeditus exul orbem  
deinde pererravit, Bojariæ quoque hos-  
pes, demum Gandavum in Flandriam  
pervenit, relictis ubique symbolæ loco  
ingentibus miraculis, quæ unico suo sci-  
pione dedit cruce insignito. Flandriam  
cum ditissima lues popularetur, sese cum  
gemino socio vicariam urbis victimam  
morti objecit, A morte geminum circ-  
lum cæli ostenderunt & crucem in alte-  
ro, ut sciremus, quò crux scipio illum ab-  
duxisset. Sed numne M A R I A M amavit?  
Non nisi in cryptâ eidem dicatâ sepeliri  
voluit. Et verò ubi mollius ossa nostra ja-  
cerent, quàm in sinu M A R I A E? *Ex Syr. &  
Ras. S.*

*Bonum mihi Domine tribulari, dummo-  
do ipse sit mecum, quàm regnare sine te, opu-  
lari sine te, sine te gloriari. Bonum in tribu-  
latione magis amplecti te, in camino ha-  
bere te mecum, quàm esse sine te vel in cælo.*  
S. Bern. serm. 17. Qui habit.



**I**ustitia præfides multos habet, Patronos paucos. STANISLAUS adeò Cracoviensis Antistes mortuum citare testè coactus est, ne optimâ causâ caderet. Prædium à Petro viro nobili emptum, fraude amicorum ejusdem propè perdidit, nisi illum ipsum Petrum, triennio antè defunctum, ad Iudices ridivivum adduxisset, quem nemo vel intestabilem ausus est dicere, vel refutare. Vitiorum severus vindex semper audit, ignarus regulam flectere, seu pauperum tabernas, seu regum palatia metiretur. In omnem peccandi licentiam Boleslaus Rex proruebat, quem nequinequam admonitum STANISLAUS piorum tribu movit. Non erat Rex huic probro concoquendo; sed vindictam spirans, satellitibus ad aram stantem, victimam objicit, iisque tertium divinâ virtute vinum afferre prohibitis, ipse carnificis munus occupat, & laniati à se Antistitis membra dispergit. Damnarunt crudelitatem quatuor Aquilæ perpetuis excubiis reliquias tutatæ; donec miraculo cælestique luce excitati mortales eas in urnam componendas legerunt. Juvit pietatem divina manus, lacerosque inter se artus ica colligavit, ut nullum crudelitatis vestigium superesset. Non sustinent impius  
Rex



II. April. VITÆ SANCTORUM. 235  
Rex tam luculentam infanxiæ suæ expro-  
brationem ; sed regnum exilio muta-  
vit, omnium hominum odium ; cum  
STANISLAI triumphum etiam Aquilæ  
augerent. Ex Surio.

*Nunc dum mundus arridet, dum car-  
nis sanitas fervet, dum prosperitas terre-  
na demulcet, quæ post ista sequantur, ex-  
cogita ; & quæcumque transitoria sunt,  
altiori consilio jam transisse decerne, &  
velut ludificatoriæ illusionis somnium  
deputa. S. Dam. l. 8. ep. 8.*

S. GUTHLACUS C. II. Aprilis.

**G**UTHLACUS regio satu nobilis,  
circa salutis annum DCC. VI. castra  
solitudine, sagumque sacco mutavit. Se-  
dem sibi legerat expertem humani cultus  
Insulam, quam perpetuis turbis ita in-  
festam daemones reddidere, ut consilium  
fuerit, statione decedere, nisi opportu-  
nis auxiliis D. Bartholomæus patronus  
ac tutor confirmasset. Corruptum ali-  
quando ad inferos abstraxerant iidem  
turbatores, ubi oculis objectâ æternorum  
ignium atrocitate, minati sunt, nisi  
Insulam faceßere vellet, continuo præci-  
pitandum. Gnarus GUTHLACUS ni-  
hil ultra minas posse, ausus est vel in  
hostico abnuere. Ex eo tempore quod  
diebus ab Angelo tutelari sub diei noctif-  
que crepusculum visebatur, novalque  
contra



236 VITÆ SANCTORUM. 12. April.  
contra increbescentem hostium impe-  
tum vires accipiebat. Discipulo, qui ei  
necem moliebatur, mentis arcanum a-  
peruit: pro quo preces ad Deum funderé  
non destitit, quoad certam ei salutem  
impetravit. Eidemque triumphum suum  
ostendit mortuus, cujus pompæ pars fuit  
igneæ turris à terrâ in cælum pertinens.  
Ethelbado Regi exuli per speciem obje-  
ctus regni restituendi nuncius fuit. Qui  
receptis potestatis insignibus, cænô-  
bium sui vatis monumento superstru-  
xit, in quo corpus ejus quiescenti quàm  
mortuo similis inventum est. *Ex Surio.*  
& Lipp.

*Necesse est, ut illic dentibus strideant, qui  
hîc edacitate gaudebant: illic ab iis irreme-  
diabiliter plangitur, à quibus hîc voluptu-  
osè ridetur; quiqûe hîc olfaciunt nidores  
aromatum, illic eos sulphureus lator excru-  
ciat, & tetrapiceæ fumî caligo circumdat.*  
S. Dam. l. 8. ep. 6.

S. ALFERUS ABB. 12. Aprilis.

**P**Atria ALFERO Salernum, schola  
Principis illic aula fuit. Ex hac ad re-  
gem Germanorum Legatus feliciter è  
viâ aberravit, & ad Regem Regum in  
cœnobium Cluniacense deflexit. Inde  
melior jam ad patriam Legatus mona-  
chis illic præfuit, & Cavense Asceterium  
condidit. Ibi mali dæmonis invidiâ ex  
altif-



12. April. VITÆ SANGTORUM. 237  
altissimo monte præceptus dejectus, risit  
incolumis veteratorem, altiùs olim nec-  
tam impunè cadentem. Incolam saxo ob-  
tritum à sociis in oratorio suo id noctis  
voluit deponi; mane deinde vespillonibus  
funus quærentibus hominem restituit.  
Quina ova cum essent, sed septem hos-  
pites, sine fraude, sed non sine miracu-  
lo, & fortè cum risu singula singulis  
attribuit. Vates plurimis aliis fuit; ipse  
mortis suæ vatem longè nobilissimum  
Christum habuit, qui sexto die priùs  
quàm obiret, ALFERUM ad cœnam  
invitavit: condixit lubens, & quò famem  
opsonaret, jejunos venit. Miracula mor-  
tuus continuavit, ex multis unum illis  
narrabimus, qui ex Veneris harà ad Nu-  
minis aram accedunt, & heu! impurati  
epulo divino inter virgines mentes An-  
gelos accumbunt. Fuit qui quoties sa-  
cræ mensam frequentare parabat, som-  
norum intemperie absterreretur. Eam  
maculam etsi nullâ suâ culpâ contra-  
ctam, cum precibus, jejuniis, confes-  
sione semper elueret, redibat tamen ad  
invitum illa, & etsi scelus non esset, vi-  
debatur tamen esse. Tandem dormienti  
adstere ALFERUS visus est, & fonti ad-  
motum sanctioribus undis lustrare, jam-  
quæ contra Stygis ejuscemodi vulnera  
eximium facere. O similis, inquis, fons  
mihi curreret! At si oculos habes, binos  
domi habes.

Al.



238 VITÆ SANCTORUM. 13. April.

*Altaria Domini non alienum sed divini duntaxat, Amoris ignem accipiunt. Quisquis igitur carnalis illecebræ ignibus æstuat, & sacris assistere mysteriis non formidat, sicut nunc æstuantis inxuria flammâ decoquitur, ita postmodum gehennæ incendiis consumetur. S. Pet. Dam. l. 1. ep. 6.*

S. JUSTINUS M. 23. Aprilis.

**J**USTINUS Philosophus Palestinâ oriundus literarum amator, varias in Philosophiâ sectas amplexus, Platoni tandem auscultare cœpit. Declinaverat fortè populi turbam, cum nescio quid ad mare secum meditatus, in hominem incidit, à quo immortalitatem & supplicia animorum edoctus, Christianam veritatem aspexit, eandemque adversus hostes accerrimè tutatus est, sanguinis & vitæ prodigus. Multa Judæi Gentisque adversus Christi cultores machinabantur, quorum causam apud Cæsarium subsellia magnâ dicendi libertate tutatus, illud impetravit, ut Christiani deinceps, nisi maleficii convicti essent, innoxii viverent. Nobilis ingenii monumentum hodieque legitur; gloriæque est bonis literis hanc piam operam Christo Romæ impendisse, ubi melior numquam causa acta est, etsi optimo ejus Patrono sanguine stetit. Nam cum  
cref-



13. April. VITÆ SANCTORUM. 239  
crescentem vitâ & disciplinâ Cynicum,  
ignorantiâ hominis multoque magis can-  
ninâ impudentiâ offensus, publicis con-  
gressibus vicisset, ea res scilicet canem  
illum ad vindictam inflammavit. Nulla  
ratio perdendi JUSTINI aptior visa,  
quàm si ut Christianum allatrasset. Exo-  
sum id nomen iterum esse cœperat & ca-  
pitale. Ergo structæ D. JUSTINO insi-  
diæ haud sanè nolenti, captus rogatus-  
que Christianusne esset; affirmavit. de-  
fereretne sua sacra; renuit, Mortem su-  
biret; voluit; id Christo mortalium se-  
vero judici gratum, sibi utilissimum fore  
affirmans; ac mox cervice securi subje-  
ctâ, vitam perdidit, perditurus, nisi  
perdidisset. Ex Surio & Baron.

*Si unus omnium ad vitam introitus &  
similis exitus diligenter attenditur, varie-  
tas illa, quæ versatur in medio; necesse est, ut  
tanquam volax fugacis somni vanitas  
contemnatur. B. Dam. l. 7. Ep. 5.*

S. HERMENEGILDUS M.

13. April.

Ostendit HERMENEGILDUS, quan-  
do tandem negare obedientiam pa-  
rentibus, etiam cælo aridente, liceat.  
Cum enim patrem haberet Leovigildum  
Wisigothorum Regem, & hæresi Ar-  
rianæ oppidò addictum, ipse sanio-  
rem fidem a Præsule Leandro didicit.  
Seq



240 VITÆ SANCTORUM. 13. April.  
Sed veritas etiam apud parentem odium  
peperit. Hic enim cum laudibus debuif-  
set, ferro filium oneravit, & anno liber-  
tatis Christianæ D. LXXXIV. in carce-  
rem dedit. HERMENEGILDUS, ut mon-  
straret; quam non pensi regnum haberet,  
humanis rebus omnibus se abdicavit,  
purpuram cum cilicio mutavit, tempus  
omne inter vota ac supplicia transegit,  
demum è carcere templum fecit. Subin-  
de ipsâ sacri Paschatis nocte captivum à  
parente subornatus Pseudo episcopus  
adit, & ad sacrerimam scilicet mensam  
invitat: sed HERMENEGILDUS fidenter  
negat se in potestate futurum, etiam in  
vinculis Catholicæ libertatis memori.  
Eapropter irâ succensus Leovigildus,  
cum religione patrem etiam exiit, ejus-  
que imperio cadit filius securi caput di-  
minutus, pulcherrima Paschæ victima,  
sed non à parente danda. Cæterum Mar-  
tyrem continuò è cælo voces laudârunt,  
& delapsæ indidem lampades exorna-  
runt: Mox etiam piis manibus parens  
impius morte suâ parentavit, adductis  
post ad Catholicam Fidem omnibus Wi-  
figothis. Ita pietas quam decollasse in  
HERMENEGILDO impiâ hæresis pu-  
tavit, toto regno caput extulit. Ex  
S. Greg. M. l. 3. Dial.

*Melius est contristare parentes, quam  
contristare Dominum JESUM. Hic  
enim nos creavit & salvavit; illi saepe  
suos.*



14. April. VITÆ SANCTORUM. 241  
suos amando perdiderunt. Ne temoveant  
tuorum lacrymæ, ne tu tibi ipsi aternas la-  
crymas parias. S. Clim. Grad. 3.

S. THOMAS M. 14. Aprilis.

**N**ATA est THOMAS Alexandria, à  
parentibus benè ac pudicè educata,  
& demum nuptui tradita, ut antè Virgi-  
nibus, sic Matronis postea præluxit. Sed  
rarò castitas inter multos habitat tuta.  
Ausus est focer, cujus in domo cum ma-  
rito degebat, omnis juris atque adeò  
pietatis in filium oblitus, conjugalem in  
nurti fidem tentare. Cohorruit illa ad  
tam infanda, & monitis preces, preci-  
bus lacrymas addidit. At ille, cui pudor-  
em non potest, vitam extorquet, me-  
diamque, non audita crudelitate, secat.  
Enimverò non tulit vindex Numen, sed  
parricipium extemplò cæcitate multavit.  
Interea adsunt, qui maritum castissimæ  
volunt conventum; vident sanguini suo  
innatare pudicitiam; videns cæco ve-  
stigio muris oberrantem Susanneum se-  
nem; quis tragoediam hanc dederit?  
rogant. Non ausus est diffiteri auctorem  
se esse amens Oedipus; sed cùm atroci-  
tat in criminis, quam videns non vide-  
rat, nunc cæcus vel solè clariorem aspi-  
ceret, non dubitavit ultrò mortem o-  
rare, & capitis in se sententiam ipse  
pronuntiare. Et verò hunc facile judi-  
ces

Q

ces



242 VITÆ SANCTORUM. 14. April.  
res audiverunt, cæcumque duci scilicet  
jusserunt: THOMASIDIS verò tumultus  
ceu Martyris cultus à Cœnobitis Sceta-  
nis, Asylon deinceps fuit eorum, qui ho-  
stem Cupidinem fugerent. Nimirum jam  
antè cæcutiens puer oculis suis timet. Ex  
Menæis.

*Quoties te sentis turpibus cogitationibus  
pulsari, toties pone ante mentis oculos, quo-  
modo Christus crucifixus est pro te. Redem-  
ptor tuus moritur pro te, Et tu nescis cuius-  
modi sordidâ cogitatione sordidaris in  
mente. Hug. l. 3. de Ani.*

S. LYDWINA V. 14. Aprilis.

**L**YDWINA formam obesse castitati  
videns, dignum virgine rata est vo-  
tum, deformitatem à cælo petere. Au-  
diit hoc, & omnia morborum examina  
misit: iis ita omnis gratia defluxit, ut ne-  
mini jam placeret cadaver domum du-  
cere. Sed sic illa demum formosa CHRIS-  
TO visa est. Hic ex amantibus solus jam  
agræ cum MATRE affidere; solus amo-  
ris sui & patientiæ symbola per Ange-  
los lectulum ambientes ostentare: quo-  
rum certè unâ recordatione LYDWINA  
cruciatu supra quàm dici aut credi po-  
test, graves, facillè tamen omnes redi-  
mebat. Genium tutelarem ducem ad ea  
loca, quæ CHRISTUS olim præsentia  
suâ nobilitavit, ad purgantes inter flam-  
mas & beatas sedes habuit. Ab eodem  
donum



14. April. VITÆ SANCTORUM. 243  
donum è primi parentis horto lignum  
tulit odore nobile: ut inde una jam vel  
virginitas vel patientia sperare quid posse  
videatur. In subsidium pauperum ipsa  
pauperrima peculium tamen corrogabat,  
& JESU crumenam dictitabat, cui pro-  
fectò omnes, cùm audient, avari invi-  
debunt, quippe quæ exhauriri nunquam  
potuit. Homini facinoroso suavit, plumis  
in unum latus noctem incumberet. Ri-  
sit ille, sed cùm hoc in plumis non pos-  
set, ne in flammis olim posse cogere-  
retur, fleuit deinceps. At LYDWINA anno  
Christi M. CCCC. XXX. ægritudinis  
assiduæ ac multiplicis XXXVIII. cùm id  
dolorum incrementum impetrasset, ut  
ignibus nihil superesset piandum, mor-  
tua tandem est, vel, ut rectius loquar,  
tandem desit mori. Ex Io. Bruggmano.

*Corporea omnia, & quidquid fluxum est  
& caducum aspernans, totum te celesti  
Patri addicas, nec presenti tempori, sed  
futuro ævo vivas, mortisque meditatio-  
nem, ut Plato ait, hanc vitam existimes.*  
S. Greg. Naz. ad Philagr.

S. FRONTO ABBAS. 14. Aprilis.

**R**idiculi homines, morituri ne moria-  
mur fame, extimescimus. Com-  
meatum in annos comportamus, diem  
victuri: horrea struimus, sepulchrum  
subituri, formicæ dicam an homines?

Q 2

Ni-



244 VITÆ SANCTORUM. 14. *April.*  
Nimirum qui vitam dedit, victum vitæ  
extra urbis fora non poterit dare? Quasi  
verò si ille velit, etiam inter medias epu-  
las non Midæ, inter aquas non Tantali-  
simus? contrà, ubi ille velit, non aère  
seges exurgat, in fonte vinea? Certè  
rupem aquam dedisse memini, cumque  
terra negaret panes cælo pluisse etiam in  
deserto: Ite Reges, castra culinarem  
fruite, aciem coquorum ducite, famem  
oppugnaturi. Vincam ego vestram su-  
perbiam, aut nemo, aut cælum mihi op-  
sonabit. Hæc aut similia his cum animo  
suo FRONTO; hæc ad pulcherrimi pro-  
positi socios LXX. quos omnes secum  
ex urbe in loca deserta ab hominibus sed  
non DEO etiam eduxit. Nec fefellit in-  
gens animus, & spes tam generosa. Pro-  
vidit Numen, & alienam avaritiam pau-  
perum iussit FRONTONIS servire.  
Ergo Angelus ad dormientem nescio  
quem divitem: tu equidem in rerum  
omnium affluentiam jam copiam etiam fa-  
stidis, at Christus interim in servis suis  
cum inopiâ & adeò fame conficitatur.  
Non audit hæc Euclio, sed iterum in u-  
tramque aurem dormivit. Ergo aures  
aliter vellicavit, plagasque, ut somno  
crederet, addidit. Tum demum quid sibi  
cælum vellet, penitus visus intelligere,  
& cibariis LXX. mulos onustos, cum  
nesciret ubi FRONTO ageret, sine ducto-  
re in incertum dimisit. At illi recta inde  
ad



15. April. VITÆ SANCTORUM. 245  
ad FRONTONEM, inde exonerati ad  
divitem iterum, qui miraculo motus an-  
niversariam deinde eam liberalitatem ef-  
fere voluit. Ex vit. PP.

*Avare fac tibi sacculos, & fac jubente Deo; sed fac erogando; quia quidquid pauper acceperit, Pater celestis suscipit: & ubi recondit? In cælo, & ne forte perdidisse te doleas vel usuram, centuplum percipies, quidquid in cælum paupere præmiseris perferente. S. Chrysol. l. 25.*

S. EUTYCHIUS M. 15. Aprilis.

**H**OC die Ferentinales EUTHYCHIUM  
Martyrem colunt, etsi ubi, aut quan-  
do animam posuerit, nesciant Annales.  
Sed hæc Fasti olim cælestes loquentur;  
nam istis sua commendare, hoc demum  
ego æternum famæ monumentum credo.  
Et nos quidem etiam olim facta nesci-  
mus, at EUTYCHIUS etiam post mor-  
tem vates futura scivit, & ut scirent  
alii, è tumulo monuit. Etenim Re-  
demptus Pont. fortè templa sua obibat,  
sacra & sacrorum curatores non (quod  
hodie fit) alienis, sed suis oculis inspe-  
cturus, Ventum est. Ferentinum Hic  
fessus lectulum sibi adornari propter tu-  
mulum Martyris imperat, rectè humana  
æstimans, tantumque censens à sepul-  
chro lectum distare, quantum mors &  
mortis germanus frater somnus distant.

Q3

Tunc



246 VITÆ SANCTORUM. 16. April.  
Tunc quoque inter curas infomnem ferè  
noctem agenti EUTYCHIUS visus ad-  
stare, & quærere num vigilarer? affir-  
manti deinde illa verba tertium in clama-  
re: *finis venit universæ carnis*, simul vati-  
cinium ipse quoque finire. Atque hæc  
noctis prodigia diei portenta exceperunt.  
Visa & audita cælo arma quassari, &  
vento Aquilone duce castra ignea & i-  
gnea acies imminere. Hæc verò omnia  
explicarunt non multò post Langobardi,  
cum è Septentrione Italia se infuderunt,  
sacra humanis, humana sacris miscue-  
runt, clademque patriæ intulerunt. In-  
ter hos ipsos tamen armorum strepitus  
suaviter Redemptus obdormivit. Ob-  
dormivit inquam, nam parum differre  
mortem à somno ostendit vivus cum  
mortuis dormiens. *Ex Ferrar. & Greg.  
Mag. Dial.*

*Petendum nobis est, ut Deus nos à Dia-  
bolo liberet, qui Christum terris, ut diabo-  
lum vinceret, commodavit. Clamet homo,  
clamet ad Deum, clamet, Libera nos à  
malo; ut à tanto malo, solo Christo vincen-  
te, liberemur. S. Pet. Chryl. serm. 70.*

S. JOACHIMUS CONF. 16. Aprilis.

FELICES Senæ! vel ideò quòd inter tot  
mundi hodie libertos, ipsæ servos tot  
VIRGINIS numerant. Ex his JOA-  
CHIMO nostro pileum hodie in cælo  
De-



16. April. VITÆ SANCTORUM. 247  
Domina dedit. Vir fuit obsequendi studio, sui contemptu, sed præcipuè charitatis æstu in ægros mirandus. Exemplo fidem habe in paucis memorando. Iter illi Arretium, ex itinere obvius fuit, qui epilepsi, sed multò magis impatientiâ laborabat. Noster verbis, consilio, operâ suâ solatur: sed necquicquàm gravius jam animo quàm corpore periclitante. Hic JOACHIMUS post preces DEO fusas, in se novus medicus morbum omnem transfert. Igitur Arretii ipso DOMINÆ ASSUMPTÆ die, dum sacrificanti servit, cereumque elatæ in sublime Eucharistiæ manu prælucet, cadit morbo impellente: cereus tamen stationem in medio aëre servat, gaudente utique Angelo in hominis officium involare. Sub hæc Senis vi morbi iterum cadit, mensamque secum instructam trahit. Nihil tamen fractum, nihil confusum. Sed & alia prodigia clarum fecerunt, ut apertâ ad preces portâ, radii precantis in odeo (quò sapius assuevit concedere) caput visi cingere. Caterum morbo omni superior, illud etiam velut vitæ rectæ actæ præmium à cælo emendicavit, ut viventis carnes vermium agmen popularetur. Fatum obiit, quale expetiit ac prævidit, ipso Christi morientis die, cum illa verba socii legerent: *Et inclinato capite emisit spiritum.* Sed apud mortuum quoque medicinam morbidi

Q 4

quæ-



248 VITÆ SANCTORUM. 17. April.  
quasi fuerunt, & verò reppererunt, Epileptici præcipue, non ignari expertum mali hujus medicum se accedere. Ex Ferrar.

*Quid infirmius homine, quem sensus fallit, ignorantia decipit, circumvenit judicium, pompa lædit, tempus deserit, mutat ætas, hebetat infantia, juvenus præcipitat, senectas frangit? S. Pet. Chryl. serm. 45.*

S. HELENUS C. 17. Aprilis.

**F**ugiendum est citò, quod nocet citò. Sapuit isto maturè HELENUS consilio, & è mundo prius quàm pueritiã exiit, tutiùs inter feras, quàm homines victurus. Jejunia producenti cacodæmon escas obtrusit; sed HELENUS & cocum & dapiferum aspernatus cum Cælo quàm Orco prandere maluit; mox enim Angeli, ut Christo quondam dapes esurienti ministrarunt. Tanto deinde promptiùs ipse quoque per longa itinerum spatia aliis prandia ferre, & si oneri succubuisset, onagris ea imponere, nil repugnantibus pigerrimis alioquin animantium. Neque jam solum onera illius asini, sed ipsum etiam HELENUM, cum Myrtam sacrificii causâ accerferet, per amnem crocodilus transuexit; adeò sanctitati obtemperant omnia. Discipulo ejus cum Orci minister libidinis faces admoveret, incendiarium HELENUS ad tantas



18. April. VITÆ SANCTORUM. 249  
tas redegit angustias, ut extra circulum,  
quem in arenâ scipione descripserat, ne  
latum quidem unguem aut unguam po-  
nere sit ausus, donec turpe incendium  
extingueret. Illud etiam memorabile,  
quod illæsus ignem calcârit, Ut Zaream  
Hæreticum falsitatis argueret, qui perfidi-  
am suam per flammam probare non au-  
sus, Catholicæ Religionis, ut veri auri,  
pretium auxit. His facinoribus HELE-  
NUS Heliopolitanam primùm mitram,  
deinde æternitatis coronam meruit. Ex  
vitis P P.

*Si vis animam tuam in sua virginitatis  
integritate persistere, aures & oculos à ne-  
gotiorum secularium vanitate firmiter ob-  
strue, carnalium hominum colloquia de-  
structioni magis quam ædificationi profu-  
tura contemne; nam qui tangit picem, in-  
quinabitur ab eâ S. Pet. Dam. Op. X I I.*

S. URSMARUS C. 18. Aprilis.

Q Uo tempore mater gravem URSMA-  
RUS ferebat uterum, venerandâ fortè  
canitie senex per visum astitit, puerulum-  
que, manu gestatum ejus curæ commen-  
davit. Excusanti annonæ difficultatem  
panem candidum porrexit, novo mox  
inter manus auctu grandescens; pro-  
digii que rationem ad nascituræ prolis  
doctrinam retulit, cum annis ad multo-  
rum mortalium emolumenta amplifican-  
dam.

Q 5



250 VITÆ SANCTORUM. 18. *April.*  
dam. Simul monstravit eminentem in  
sublime filiolum per scalam cælo infer-  
tam. Præfatio fidem adstruxit vita cæli-  
tibus quàm hominibus propior: nam E-  
piscopus tempore succedente creatus,  
novem annis à pane humano tempera-  
vit, reliqui cibi tam modicus, ut validæ  
membrorum vocisque vires haud imme-  
ritò miraculi instar obtinerent. Dæmo-  
nes frequenter injustâ corporum huma-  
norum possessione deiecit: metu lem-  
urum infestas ædes aquâ lustrali solvit:  
morbos curationum fines egressos divinâ  
sanatione depulit. Porrò charitas servan-  
dorumque mortalium studium in emi-  
nentissimum virtutis fastigium assur-  
xit, cùm esset quotidie cujusvis homi-  
nis salutem sanguine vitæque recuperare  
paratus. Rerum adversarum patientiâ in  
Iobi comparationem evixit. Obiit anno  
Christi D. CC. XIII. de cælo obtinendo  
solicitus imprimis, ut qui jam scalas ad-  
moverat, antequam nasceretur. *Ex Ra-  
ther. Veronense.*

*Multi simplices & humiles cælos pene-  
trant. Nullus verò arrogans, quamvis  
omnium liberalium polleat scientiâ, ad cæ-  
lestem admittetur convivium, tantoque gra-  
vioribus cruciabitur pœnis, quanto nequius  
donum Dei tractaverit. S. Laur. de Casto  
Connub. c. 14.*

S. THEO-



## S. THEODORUS M. 19. Aprilis.

**T**HEODORUS cū sacramentum,  
 quod CHRISTO dederat, Marti  
 negasset, post fustuarium craticulæ inje-  
 ctus, pice ac sulphure perfunditur. Sed  
 cū crudelitate hac tellus commota è si-  
 nu aquas, quæ rogam extinguere,  
 effudisset: THEODORUS incolumis ad  
 Marti devotos provocavit: irer ex om-  
 nibus unus aliquis in rogam, Deumque  
 suum etiam ipse probaret. Illi causæ dif-  
 ficiorem ad sacrificulos rejecerunt. Ex  
 his etiam DIOSCORUS adductus, pa-  
 lām Jovis patrocinium respuit, suavit-  
 que ipse è flammis causam Jupiter dice-  
 re juberetur; se diem ei dicturum, se  
 ex fano obtorto colle ad iudices ignes  
 rapturum, cæloque, pulcherrimo, quod  
 unquam fecisset, sacrificio ipsum Iovem  
 immolaturum: probaret ille fulmine se  
 Deum, pictosque suos ignes, & unā hos  
 in caput sacrificantis, si posset, congere-  
 ret. In doluit Iovem, ludos fieri Pro-  
 consul, & *Dioscorum* jam Christia-  
 num flammis, THEODORUM verò  
 quadrigis raptandum dedit. Hic verò ab-  
 euntibus in præcipitium equis, alio è  
 cælo curru-triumphans in Prætotium ve-  
 nit. In succensam exinde cum militi-  
 bus, quibus hæc miracula fidem fece-  
 rant, in fornacem coniectus, altero mane  
 loqui



252 VITÆ SANCTORUM. 19. April.  
loqui reperitur PHILIPPÆ matri, quæ  
triennio antè captiva abducta, ad preces  
filii per Angelum tum erat reducta. Ad-  
volat igitur tyrannus; milites hastâ  
transfigit, matrem capite multat, THEO-  
DORUM ipsum in crucem agit. Sed ille  
post tot victorias, non petiisset aliud  
trophæum. Ex Menais.

*Non est patiendum, ut assidua de Deo  
cogitatio ex animis nostris elabatur; agen-  
dumque assidue, ut ex perpetuâ recordatio-  
ne impressam cordibus nostris piam de Deo  
cogitationem, velut indelebile signum cir-  
cumferamus. S. Bas. in Reg. fuf. disput.*

S. WERNHERUS M. 19. April.

**W**ERNHERUS rustica, ex Treveren-  
si agro, progenies, egenis compa-  
rabat paratum diurno labore obsonium;  
vitrici asperitatem, ipse tam miti inge-  
nio, fugere coactus, in opiliones haud  
paulò mansuetiores incidit; nam &  
mapalibus fugientem, & esurientem  
cœnulâ exceperunt, quibus ne oneri fo-  
ret hospes asymbolus, defixo humi ba-  
cillo, novum è terra fontem salire iussit:  
à Pastoribus digressus in feras incidit;  
annum enim agentem XIV. Iudæi adhuc  
Christi in Christianis sanguinem sitien-  
tes, capite pronò columnæ alligarunt,  
S. Hostiam ab ore repetituri: loris deinde  
ac ferro per omnia membra crudelissimè  
graf-



20. April. VITÆ SANCTORUM. 253  
grassati, satis docuerunt quam longè  
Apellæ omnem humanitatis sensum ab-  
jecerint: nam etsi triduo inter tormen-  
ta exacto, omnium opem ac commise-  
rationem exposceret, eam tamen neque  
apud iudicem argento corruptum repe-  
rit, inter acerbissimos cruciatus id  
unum habiturus solatii, quòd pen-  
dens denuum ad exemplum Christi ani-  
mam efflavit. Cadaver ejus in spelun-  
cam abjectum est, ne à Judæis, sed  
feris laniatum credi posset; iusta ni-  
hilominus ei Cælum persolvit, mul-  
tâ face circum cadaver accensâ, quæ  
WERNHERI innocentiam & Judæo-  
rum crudelitatem detexit. Ex Surio.

*Ad cælum respice, brevissima hujus vi-  
tæ terminum tibi ante oculos pone; & cum  
quo de villicatione tuâ rationem ponere de-  
beas, sollicitus meditare. Quid enim prode-  
rit hodie auro & gemmis contegi, si cras  
contingat nudum & reum ad inferni sup-  
plicia pertrahi? S. Pet. Damian. l. 7. Ep. 15.*

SS. SULPITIUS ET SERVILIA-  
NUS MM. 20. Aprilis.

**R**ursum te ad nuptias invitamus,  
sed (quemadmodum semper factum  
est) Agni; quin imò, si lubet, ad  
choreas etiam, non quidem ut ducas,  
sed ut spectes, simulq. illud etiam fatear-  
is, verum dixisse, qui ferè ebrios & insa-  
nos



254 VITÆ SANCTORUM. 20. April.  
nos saltare dixit. Ecce SULPITIO Euphrosyna, SERVILIANO Theodora despondetur, & Aureliano Consul's filio Domitilba promittitur. Iam quatit Hymenæus faces, jam locus, jam amor ridet, mox lacrymas daturi. Nam intereā Domitilla Euphrosynam & Theodoram familiares suas Christo conciliat; hæ verò eidem sponfos etiam suos, adnitente iterum Domitillâ, dum ejus operâ Christum videt cæcus, & mutus loquitur. At nimirum intereā solus Aurelianus cæcutit, solus hic non sana loquitur. Quin adeò tibicines jam solus conducit, & pede frequenti terram pulsans in exitium suum jam pridem Orcum laborat evocare. Iamque duos omnino dies totidemque noctes assiduâ saltando se exercuerat, cum quiescit tandem morte subitâ prostratus, nec jam ille domum Domitillam, sed illum domum Proserpina ducit. Porro SERVILIANUS & SULPITIUS, firmati his miraculis, non dubitarunt postea pro Deo & castitate cervices præbere securi secandas, rectius capite, quàm Aurelianus pede saltaturi. *Ex gestis SS. Nerei & Achillei apud Sur.*

*Debet bene conscia mentis esse lætitia non inconditis comestationibus, non nuptialibus excitata symphoniis; ibi enim intuta verecundia, illecebra suspecta est, ubi comes deliciarum extrema est saltatio, Nemo enim, ut dixit quidam secularium*

*Do.*



20. April. VITÆ SANCTORUM. 259  
*Doctor, saltat sobrius nisi qui insanit.*  
S. Ambr. l. 3. de Virg.

S. AGNES POLITIANA V.

20. Aprilis.

**N**Atale solum AGNETI mons Posi-  
titanus est. Quo die in lucem prodiit,  
multis vicinus æther facibus stellans il-  
lustris vitæ primordia celebravit. Nono  
ætatis anno, quo virgines aliæ totæ pen-  
dent à matribus, D. Dominici institu-  
tum in sacro Parrhenone complectitur.  
Quindecim annis pane & aquâ victita-  
vit; sæpeque cælesti pluviam, qualis He-  
bræis per desertos Arabiæ campos mo-  
ventibus annona fuit, inter precandum  
est operata. Tres aliquando gemmulas ei  
Deipara dono dederat, vaticinata, suæ  
honori aliquot ab AGNETI templa con-  
stituenda. Iesulum aliàs in sinum ejus  
infuderat: cujus è collo crucem eam ab-  
straxit, quæ in hæc usque tempora ad  
facti memoriam piorumque veneratio-  
nem conservatur. Sæpè ab Angelo di-  
vinam hostiam accepit. Balneum, quo  
valerudinis causâ utebatur, cælesti man-  
na instratum eoque loco fons medicâ  
salubritate præditus erupit. Et quem  
admodum sæpè divinos genios vivens  
habebat hospites, ita moriens eosdem  
adepta comites, in cælum evolavit,  
anno salutis M. CCC. XVII.  
MOR.



256 VITÆ SANCTORUM. 21. April.  
Mortem multi infantes à suis cunis, quâ  
sermone, quâ cantu celebrarunt. Corpus  
putredine taboq̄ue intactum virtutum ac  
præcipuè castimonix luculentam præbuit  
testificationem. Ex Bullâ Canonizat.

*Ut sancta anima Christi caractere utro-  
bique signetur, eum in corde suo signacu-  
lum ponat, ut amoris ejus facibus medulli-  
tus inardescat; ponat etiam in brachio,  
ut piis operibus valenter insistat. S. Pet.  
Damian l. 7. ep. 9.*

S. ANSELMUS EP. 21. Aprilis.

**F**Acilè mundum despicit, quisquis æ-  
quis oculis aspicit. Testis luculentus  
ANSELMUS est. Vidit hic (nebulam ab  
oculis Deo removente) quem nos mun-  
dum dicimus, immundam, quâ patet, pa-  
ludem esse, cœni omnis ac sordium col-  
luviem: in hâc volutari miseros homun-  
culos; hinc delitias suas haurire delictu-  
los, hinc gemmas quærere avaros, hinc  
triumphare ambitiosos. Miratus AN-  
SELMUS posse tam sordidâ lacunâ  
piscis gaudere tam nobiles, oculum  
ad religiosorum septa transtulit, &  
ædes sibi videre visus est regio opere  
structas, & omnibus delitiis affluentes.  
Has itaque ingressus, ex Monacho Cœno-  
biarcha, ex Cœnobiarcha Pontifex Can-  
tuariæ mortuus memoratur, anno M. C.  
IX. vir qui è minimis quibusque rebus  
maxima



22. April. VITÆ SANCTORUM. 257  
maxima dare documenta scivit. Nam, ut  
alia silentio prætermittam, cùm lepuscu-  
lum sub equum suum fugientem à cani-  
bus undique cingi conspexisset, eam mo-  
rientis conditionem esse exclamavit ab  
atris geniis obsessi. Jam puerum conspi-  
catus cum aviculâ lufitanti filio alliga-  
tâ, peccantis hominis typum esse dixit,  
qui libertate suâ spoliatus, ad arbitrium  
Stygii aucupis viveret. Itaque qui jam  
nos circumspicimus, si ANSELMO cre-  
dimus, mali dæmonis ludus, lepusculi,  
& aviculæ captivæ sumus. Nec tamen  
stulti lepores fugimus, nec aviculæ filium  
rumpimus: quin quod omnem stultitiam  
exsuperat, cantitare etiam in tantis mise-  
riis juvat. Ex Edinero.

*Cùm semel anima adhaferit cupiditati-  
bus demersa terrenis, difficile in altum po-  
test, inde descendit, sine Dei favore, evolare,  
Actuum enim suorum vincula laqueis,  
& secularium deliciarum illecebris obnoxia  
tenetur, Ambros. in c. 4. Lucæ.*

S. THEODORUS C. 22. Aprilis.

**T**HEODORUM sexennem mater ad om-  
nem licentiam informabat, cùm  
S. Georgius, ne filium Cæli Imperatori  
autoratum vitæ corruptelis effeminaret,  
præfens admonuit, pueri deinceps in  
sanctitate magister. Eunte ad Ædem  
sacram dux adfuit viam præstigiis

R. Orci



258 VITÆ SANCTORUM. 22. April.  
Orci præceptam & impeditam aperiens ;  
matri quoque , si à pietate filium avoca-  
ret , stricto mucrone exitium minatus.  
Prope interitum THEODORUS erat ,  
quando decantatus ille Proteus , assump-  
ptâ contubernalis formâ , incautum in  
præcipitium intulit præultor ipsius fa-  
ctus , cumque exemplo tracturus , nisi  
custodis cura prævaluisset. In templo  
Christum cum Virgine matre præsentem  
aspexit , à quo ad sanctiorem militam  
invitatus , ilicò stipendia facere coepit.  
Gigantem credidisses vim cælo illatu-  
rum , si labores spectasses. Miraculis  
morborumque medelâ clarus , quos aliis  
abstersit , sibi gratulatus est dolores , eos  
divinæ in se voluntatis argumenta dicti-  
tans. Venenum impiorum invidiâ mi-  
stum Regina cælorum benevolentiam su-  
peravit , quæ piorem mensis securitatem  
affert , certiore utique quàm ii , qui  
periculosas Principum epulas gustu ex-  
plorant. Huic Regina Cælitibusque tam  
charum quid mirum est , si Reges nostri  
orbis suspexerunt , neque passi sunt Theo-  
dorum voto suo potiri , qui cum probra  
sitiret , vel invitus honoribus mactatus  
est ? Ex Surio.

*O quam suave commercium , imò quam  
inenarrabilis dulcedo in humanis visceri-  
bus oritur , cum Creator & Creatura alter-  
nis in se invicem affectibus delectantur ! si-  
cut per prophetam dicitur , Suavis fit ei  
lau-*



23. April. VITÆ SANCTORUM. 259  
laudatio mea, ego verò delectabor in Do-  
mino. S. P. Dam. l. 7. Ep. 19.

B. ÆGIDIUS C. 23. Aprilis.

ÆGIDIUS tertius Assisiatum Francisc-  
ci assecla ingenuo sanctoque men-  
tis candore ad insigne virtutis culmen  
peruenit. Virum, è S. Dominici fami-  
liâ, eximiâ doctrinâ, de perpetua Deipa-  
ræ virginitate dubium sibi que difficilè  
consentientem; tali prodigio contra an-  
cipitem cogitationem confirmavit. Ter  
scipione terram impulit, dicto singu-  
los ictus profecutus, hoc ordine: *Ma-  
ria Virgo ante patrum: Maria Virgo in  
partu: Maria Virgo post patrum:* & mox  
lilia totidem ad scipionis impulsum Æ-  
gidii que vocem solo emerferunt. Tertio  
ante suum natalem die, Christus ei spe-  
ctabilis adfuit, reditu per consequen-  
tes quindecim dies instaurato. Ex quo  
tempore tam concitatis in cælum desi-  
deriis rapiebatur, ut audito vel à pueris  
per plateas Paradisi nomine, rerum  
omnium sensu destitueretur. Septem in  
eo eminebant virtutes, credendi con-  
stantia, pietas erga Deum, reverentia,  
commiseratio, cura officii, obedien-  
tia, grata beneficii memoria. Quinqua-  
ginta duobus annis in sacrâ militiâ me-  
ruit. Post mortem magnum luentium  
agmen è lustralibus flammis in cælum

R 2

eve-



260 VITÆ SANCTORUM. 23. April.  
evexit. Obiit Perusii anno M. CC. LXXXIII.  
Ex Surio.

*Si invenis aliquid melius, quàm videre  
faciem Dei, illuc te præpara: Vatali a-  
mori tuo, si vel suspicaris aliquid pulchrius  
quàm est ille, a quo est omne pulchrum, quod  
teteneat, ne illum cogitare merearis. S. Au-  
gust. in psal. 43.*

S. GEORGIUS M. 23. Aprilis.

**A**Nno post natum Servatorem XC. su-  
pra CC. GEORGIUS fortissimus  
CHRISTI miles & ob virtutem inter  
Tribunos adlectus; tum Comitum etiam  
titulo à Diocletiano ornatus, cum hujus  
nihilominus efferam in Christianos ty-  
rannidem propalam damnasset, in vin-  
cula & ipse tractus, saxum primò in-  
gens pectori injectum supinus fortius,  
quàm cælum Hercules tulit; ad machi-  
nam deinde mucronibus omni ex parte  
armatam, ut antè ad gladios in acie, risit.  
Hinc calce tres dies sepultus, cum illu-  
srior surrexisset, ferreos & ab igne can-  
dentes calceos indutus, nempe ad O-  
lympicam coronam cucurrit. Cæsus ite-  
rum immaniter, ac alapis contusus, in  
ruborem languoremque ipsos carnifices  
dedit, & testem fidei suæ mortuum è  
tumulo produxit. Tandem post tot egre-  
giè pugnatas pugnans coronatum pridie  
in carcere ab ipsomet Imperatore  
CHRISTO



24. April. VITÆ SANCTORUM. 261  
CHRISTO, caput iterum coronan-  
dum securi subdidit; cū prius ad ejus  
imperium corruissent omnia Numinum  
simulachra, & cacodæmones se esse, non  
Deos, ultrò edixissent, verissimo om-  
nium, quod unquam dederunt, oraculo.  
Ex Metaphr.

*Deus ipse omnium rector ac Dominus cum  
omni Angelorum militiâ certamen tuum  
expectat, tibi que contra Diabolum dimi-  
canti parat æternitatis coronam. S. Amb.  
in Epist.*

S. BONA VIRGO. 24. April.

**A** Ge virgo animo, hæ tibi leges ferun-  
tur. Lecto pudico cubato. Vestes ci-  
licium esto. Ut latrones domesticos ef-  
fugas, pudorem peregrè ad Divûm  
templa circumferto. Nempe duras, ais,  
& verè æreas leges fixisti. Quid vis di-  
cam? Tumon potes quod isti & istæ? ad-  
do quod virguncula Bona potuit, cui vix  
septenni has leges ipse summus Legisla-  
tor Christus tulit, annuente & probante  
virgine animo. quid? quòd ultrò non  
lecto, sed stramine involvit pudorem,  
si non tam molliter, certè securiùs dor-  
miturum? quòd non semel, sed decies ex  
Italiâ ad S. Jacobi sepulchrum in Gala-  
ciam abiit? quòd tres omnibus septima-  
nis dies non nisi pane & aquâ tradu-  
xit, & reliquis, quibus opiparè vixit,  
R. 3. legu-



262 VITÆ SANCTORUM. 25. April.  
leguminibus vixit, etiam tunc, cum ab  
Hierosolymitano itinere & longâ Sara-  
cenorum captivitate redux continuâ fe-  
bri laboravit? Superi! quis nostrum  
ægro corpusculo facit tam ægrè? Nimi-  
rum Virgo facit, ut periclitanti pudici-  
tiæ medicinam faciat. Et arrisit his stu-  
diis Christus ipse, qui Jerosolymæ ad  
sepulchrum suum orantis Bonæ capiti  
ter manum suam imposuit, & post qua-  
dragintadiale jejunium traductum, in eâ-  
dem eremo à Virgine, in quâ ipse tradu-  
xerat olim, annulo sibi visendus despon-  
savit, multisque aliis miraculis ornavit.  
Ultimò è vitâ BONA inter risum cantul-  
que abiit. Quid miraris lector? dum vixit,  
flevit. Ex Brevio 13. tom. ann. Eccl.

*Fidelis & religiosus animus ea, quæ  
sunt caelestia, concupiscat, & divinam  
promissionum avidus in amorem se incor-  
ruptibilis boni & in spem veræ lucis attol-  
lat. S. Leo Papa in Ann. Assump. suæ  
ferm. 2.*

S. MARCUS. 25. Aprilis.

**M**ARCUS ut primùm res Christi ge-  
stas litteris consignavit, à Petro  
Alexandriam legatus est: cum ipso etiam  
Evangelium in urbem penetravit. Cùm  
enim sub portâ Anianus cerdo detri-  
tas Apostoli soleas reficeret, subulâ-  
que in lavam exerrante, Deum, ut  
fit



25. April. VITÆ SANCTORUM. 263  
fit in adversis, in clamaret, M A R C U S  
vulneri remedium fecit, & Anianum  
magno operæ pretio ad Christi Religio-  
nem traduxit. Sed cum ob quotidiana  
fidei incrementa M A R C U S insidiis ap-  
peteretur, Anianum pro se urbi Episco-  
pum dedit, ipse Penrpolim abiit, Indi-  
dem biennio post Alexandriam rediit,  
ubi ad aram ipse Dominicæ Resurrectio-  
nis festo die captus raptatusque per ur-  
bem, Paschalis pro Christo factus est  
victima. Eâ nocte Angelus nomen suum  
Marco albo Cæli inscriptum monstra-  
vit, & Christus ipse magno præsens  
fuit solatio: postera luce cum laqueo gu-  
la implicaretur, tam citò confringi non  
potuit, quin celerior anima ad Superos  
evolaret. Cadaver ne tortores exurerent,  
coorta repente tempestas rogam omnem  
cum bustuariis disjecit. Nunc de illius  
tumulo Italia Germaniaque certant, ut  
de Homeri cunis Græciæ urbes, litetan-  
tò sanctiore, quantò dignior est, qui  
Christi, quàm qui Achillis prælia scri-  
psit. Ex Brev. Rom. & S. Hieron.

*Sic est vita nostra, quasi homo in domo  
alienâ; nesciens quâ horâ vel die dominus  
domûs dicat: vade foras, quia non est do-  
mus tua, in qua es. O seculum vanum!  
quid nobis tanta promittis, dum decipis?*  
Auctor. serm. ad Fr. in Eremito.



S. BASILEUS EP. MART. 26. April.

**S** Celus heu ! ingens, juvenus. Tuis  
 manibus tuam occidis, eheu ! toties  
 castitatem, cum olim viri sancti occi-  
 dere pro alienâ non dubitarint. Prodeat  
 B A S I L E U S, & dum pro alienâ pu-  
 dicitâ pugnat, pugnare pro nostrâ nos  
 doceat. Erat Licinio Imperatori in Par-  
 thenone virgo, virgini nomen Glaphy-  
 ra, addictissima Christo & castitati.  
 Huic insidias tyrannus Cupido per alte-  
 rum tyrannum Licinium moliebatur.  
 Glaphyra ab amore docta fugere, ipsa  
 quoque alas assumit, & ad Episcopum  
 B A S I L E U M abit. Sed nihil latet cæ-  
 cum licet Amorem. Proditur virgo apud  
 Imperatorem, & unâ virginis custos  
 Pontifex, & jubet utrumque vincitum  
 adduci Licinius. Commodum Glaphy-  
 ra morte beatâ vincula effugit, sed  
 subit B A S I L E U S vas pretiosi pudoris.  
 mox jubetur aut fidem aut caput ponere.  
 Nec multum ille apud animum suum de-  
 liberat, abjicit caput, ut fidem servet.  
 Utrumque & caput & truncum corpus  
 seorsim in mare proturbant carnifices.  
 Sed quâ aut corpus aut caput Martyris  
 periret, si neque unus ex hoc capillus  
 est periturus? Angelus Elpidophoro vi-  
 ro Christiano in cælis animum B A S I L E I,  
 in undis corpus monstrat. Ergo illi  
 cura



27. April. VITÆ SANCTORUM. 265  
cum piscatoribus ita convenit, ut quid-  
quid deinum prehensum id loci verricu-  
lo esset, suum esset. Mox BASILEUS  
extrahitur, non jam minutus capite,  
sed planè integer. Una tantum & illa  
rubea linea ornabat, non inficiebat cer-  
vicem, ut Glaphyra è Servatoris sui col-  
lo præmium, monile hoc videatur sus-  
pendisse. *Ex Surio.*

*Habet acies Christiana potentes munitio-  
nes & arma victricia; Deo scilicet in-  
struente milites suos, ut spiritu veritatis  
mansuetudo iram, largitas avaritiam,  
benignitas extinguat invidiam. S. Leo  
serm. 7. de Jejun. 10. Mens.*

S. SITA VIRGO. 27. Aprilis.

**P**ROPE Lucam in Hetruriâ nata SITA  
servitutum Fatinellorum familia, i-  
mò veriùs egenis servivit. Nam his ferè  
suum victum cessit, & quod unum in  
servâ supererat opis, pro mendicis quo-  
ridie apud dominos mendicavit, præcla-  
ram mercaturam dictitans (& mercato-  
res erant) ingens cælum tantillo emere.  
Et verò liberali dextrâ, cùm nihil a-  
liunde suppeteret, Numen suggestit. Ita  
siftienti rogatori cum aquam se porrexif-  
se crederet, vinum propinavit. Alteri  
cùm fabas vendendas gratis dedisset, ni-  
hil tamen dominus superveniens abes-  
se comperit, mensuram cælo, ut promi-  
ferat,

R 5



266 VITÆ SANCTORUM. 27. April.  
ferat, remetiente. Vestem quoque pel-  
libus subductam, & commodatam ab he-  
ro, nudo ipsa commodavit. Nec fefellit.  
Retulit hic cum irasceretur herus S I T A,  
& ex oculis disparens docuit, nulli secu-  
rius rem credi, quam caelo. Aliàs depre-  
hensa panis reliquias miseris ferre, quò o-  
culos dominorum falleret; tantisper in  
flores vertit, gratissimos deinde esurien-  
tibus odore. Suum verò, hoc est, virgi-  
nitatis florem, quem à teneris intactum  
in tumulum etiam salvum intulit, preci-  
bus & jejuniis fovit, lacrymis rigavit, nec  
lecto, sed quæ floribus amica est, terrâ  
deposuit, nec dubitavit quandoque pro-  
cace servuli petulantiam unguibus no-  
tare, itaque vel invitum verecundum fa-  
cere. Nudis pedibus ad sacrata loca eun-  
tem multa miracula comitata. Quid?  
quòd domum redeunti sub noctem co-  
mes è caelo delapsa M A R I A ivit, & pon-  
tis urbisque portas recludit. An dubitabi-  
mus. ergo Cœli januam viventi Sitæ tam  
propitiam morienti patuisse? Ex Bzovio,  
13. tom. Ann. Eccl.

*Succincti lumbos mentis castam & so-  
briam vitam in Dei timore ducamus, nec  
concupiscentiis carnis mens principatus sui  
oblita consentiat. Brevia & caduca sunt  
terrenarum gaudia voluptatum, quæ ad æ-  
ternitatem vocatos à semitis vitæ, conantur  
avertere. S. Leo. ser. 2. de Ann. Ass. suæ.*

SS. THEO-



SS. THEODORA ET DIDYMUS  
M. M. 28. Aprilis.

**F**Abulam damus, dum vivimus, alius alio pulchriorem: pulcherrimam DIDYMUS & THEODORA dederunt. Hæc dum parvulum tyrannum Amorem fugit, in majorem alterum Maximinum Imp. incidit. Jubetur aut fidem, aut virginem ponere. Quid ageret? Martyr moreretur, non virgo? Virgo viveret, non Martyr? placuit virgini Martyrem sociare. Abripitur in cellam infamem: sed primus DIDYMUS irruit in militis personam vultum amantis præferens: instruitur elegantissima scena: mutantur vestes: sub milite evadit virgo: sub virgine miles deprehenditur. Sed nunquam magis illa virgo, quàm cum sic miles; nunquam magis iste vir, quàm cum sic femina fuit. Dum enim hic ad supplicium ducitur, adest illa, & litem ecce de morte movet. Vadem ait se pudoris, non mortis legisse; hanc vel fugam meruisse; esse certè in virgine ferro locum, si injuriæ non fuerit; sed nec animos deesse, quos cum armis sumpsisset; demum si THEODORA addicta sit morti, THEODORAM se esse; si DIDYMUS, etiam hunc induisse. Contrà querebatur ille, ingratoram benefactori præmium invidere; arma se exuisse, non militem, stolam



268 VITÆ SANCTORUM. 28. April.  
lam induisse, non feminam; turpe fore  
viro tergum vertere, si sic mulier pugna-  
ret; illi plus lactis, sibi plus sanguinis  
naturam dedisse; se denique (sive D I-  
DYMUS jam esset, sive THEODORA)  
se ad mortem damnatum clamabat. Quid  
multis? duo pugnarunt, & cernentibus  
causam licitoribus, ambo vicerunt. Ex  
D. Ambr. l. 2. de Virg.

*Virginitas fastigium est omniumque con-  
summatio virtutum; ad quam si quis eniti  
potuerit, hunc servum Dominus, hunc  
discipulum Magister agnoscat, hic terram  
triumphabit, hic erit consimilis Deo, quia  
virtutem Dei cepit. Lactant. l. 6. de vero  
cult.*

S. PAPHNUTIUS M. 28. April.

**P**APHNUTIUS Eremita, detectis à  
tutelari genio gentilium insidiis, fa-  
cto divino sacrificio, ultrò in jus atque  
judicis conspectum ambulavit. Quem  
Sanguinarius canis tam foedâ verberum  
lanienâ concerpfit, ut patefactis lateri-  
bus exta in terram effunderentur, quæ  
facere custos suis denuò receptaculis ab-  
didit, vulnereque hiatus obsepfit. Cum  
in vinculis mirâ luce micaret, XL. se-  
natores veritatis claritate præstrikti, u-  
num ac verum Numen sunt professi,  
eamque ob causam flammis absumpti.  
Non multò pòst sedecim pueros sena-  
torum



28. April. VITÆ SANCTORUM. 269.  
torum filios ad tribunal adduxit, hæsitque  
alienato à sensibus in Deum animo : pue-  
ri in proposito constantes extincti. Pis-  
catores octo supra quadraginta sic amo-  
re Christianorum sacrorum accendit, ut  
unà ad supplicium contenderint, jugu-  
lumque ferro subjecerint. PAPHNUTIUS  
quadrifariam distractus, membraque in  
templi tectum jactata hominibus ludi-  
brium, pabulumque fœdis avibus futu-  
ra. At disjectas corporis partes Ange-  
lus conflavit, Christusque vitalem spiri-  
tum restituit. Cujus prodigii magnitu-  
dine multi ad Ecclesiam adjuncti, fi-  
dem sanguine consignarunt. Ad extre-  
mum, molâ ad collum deligatâ, in un-  
das præcipiratur PAPHNUTIUS. Sed pon-  
dere lapidis divinâ manu sustentato,  
cùm mergi volens non posset, in cru-  
cem actus eximiorum certaminum in ea  
arbore, quæ fortes omnes coronat, pal-  
mam tulit. *Ex Metaphr.*

*Si sapiis, in viâ, quânumquam ambu-  
lasti, non ipse tibi doctor aut ductor eris,  
sed aurem Magistris inclinabis & incre-  
pationibus eorum acquiesces & consiliis;  
& operam scientiæ & lectioni dabis, ne  
serò pœnitens dicas : Cur detestatus sum  
disciplinam? Guerr. l. de Advent.*

S. P. E.



## S. PETRUS M. 29. Aprilis.

**P**ETRUS Veronæ parentibus hæreticis ortus, septimo ætatis anno duodena credendi capita in scholis perdidicerat, itaque fixa animo retinebat, ut nullis unquam imperiis ad eorum veritatem improbandam compelli posset. Institutionem deinceps D. Dominici per vitam sectatus, speciosum Prædicatoris nomen rebus æquavit: quippe tanto populi studio frequentiaque concionabatur, ut ægrè per confertam multitudinem sellâ gestatus evaderet in fuggestum. Dicit factis & prodigiis affirmavit, ut validissimâ persuadendi ratione. Valuit præcipuè adversus devios ab Ecclesiæ fide, vim contrariam paternæ præfidia sortitus. Fuit, cum à Deiparâ, quod olim à Servatore cognominis Apostolus audivit: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua.* Quo patrocinio constantiam tenuit usque ad sanguinis vitæque jacturam: etenim lethalibus aliquot illatis ab hæretico vulneribus, repetens Catholicæ veritatis à magistro instillatæ confessionem, unam mortem plurimis de sacrilegâ sectâ palmis repensavit, ad annum Christi M. CC. LII. Subinde conspectus est in cælo, Mariæ, cujus ope illuc evectus erat, lateri adjunctus: quodque viventi jam concesserat Deus, post fata



29. April. VITÆ SANCTORUM. 271.  
fata insigni miraculorum famâ illuxit.  
Tantum interest à teneris cum recto ve-  
rum combibisse, quibus semel imbuta  
mens, ut vasa recentia, odorem primum  
servabit. Ex *Surio*.

*Nulla sunt majores divitiæ, nulli thesau-  
ri, nulli honores, nulla mundi hujus major  
substantia, quàm est fides Catholica, qua  
peccatores homines salvat, cæcos illuminat,  
infirmos curat, catechumenos baptizat, fi-  
deles justificat, pœnitentes reparat, justos  
augmentat, Martyres coronat. S. Aug. ser.  
I. de Verb. Apost.*

S. HUGO ABB. 29. April.

**H**UGONEM Ecclesiæ Burgundia, prin-  
cipe natum familiâ, protulit. Hic,  
adversis parentibus, eò per fugit, ubi  
splendorem à Majoribus tractum humi-  
lis familiæ consortio celaret. Capiti di-  
vinus spiritus, columbæ specie conspi-  
cuus imminere visus: unde vim ad mira-  
perpetrandam singularem hausisse persua-  
sum. Nam & in secreto humanorum pe-  
ctorum mentis obtutum figebat, &  
morbis cujuscunque generis medicinam  
de cælo parabat. Habebat Sanctius in  
vinculis Alphonsum fratrem Hispaniæ  
regem, cujus libertatem cum Hugo sup-  
plex à fratre postulasset, D. Petrus cœ-  
nobitæ cuiquam indicavit, HUGONIS  
apud Deum preces momentum ha-  
buisse,



272 VITÆ SANCTORUM. 29. April.  
buisse, Sanctioque deinde conspicuus  
Alphonfi dimittendi mandatum dedit.  
Episcopo linguæ ad petulantiam sermo-  
nis expeditæ vaticinatus est, post mortem  
tumente ac obsito pustulis ore Manes e-  
jus levitatis confessionem edituros. Spe-  
ctro deinde effatum probante, indicto  
in dies septenos monachis silentio, con-  
stitutâ ex contrario medicinâ, flammis  
purgantibus reum exemit. Sub exitum  
Deipara cum D. Petro HUGONI ad-  
fuit. Eodemque tempore Fulgentius  
Abbas duos Angelos vivit in astra ge-  
minum lectulum molientes, quorum  
alterum HUGONI, alterum Anselmo  
Cantuariensi Pontifici dicerent stratum.  
Et nunc ambo quàm molliter cubant!  
ridentque nos, qui, ut S. Augustinus  
loquitur, volutari malumus in carne &  
sanguine. Ex Hug. Clun.

*Si de omni vel otioso verbo, quodcum-  
que locuti fuerint homines, Deo sunt red-  
dituri rationem in die judicii, quanto di-  
strictius de verbo mendaci, mordaci, inju-  
rioso, de elato vel lascivo, de adulatorio vel  
detractorio judicabuntur? S. Bern. 1. de  
tripl. Cust.*

S. CATHARINA SENENSIS V.

29. Aprilis.

CATHARINA ut primum fari po-  
tuit, scalas perreptans ad singu-  
los.



29. April. VITÆ SANCTORUM. 273  
los gradus Angeli verbis M A R I A M  
salutavit. Quid jam mirum, si his gradi-  
bus ipsum sanctitatis culmen conscen-  
dit? Anno ætatis septimo C H R I S T O,  
quem supra D. Dominici ædem conspi-  
cuum habuit, se sponsam, ille, conciliante Matre aliisque Cælitibus, Sponsam  
se obtulit C A T H A R I N Æ. Itaque sapiusculè jam ad eam invisere, non raro  
personatus mendicus amorem probare,  
& stipem deinde datam è cælo multis  
laudare. Addixerat se feminæ fœdo car-  
cinomate laboranti, nec jam stipendium  
alium præter calumnias ferebat. Subtristi-  
eam ob causam nonnihil ecce C H R I-  
S T U S adest, geminam manu coronam  
prætendens, hanc auro, illam spinis ri-  
gentem, jubetque optionem facere. illa  
non nescia, quâ Sponsus corollâ orna-  
tus esset, spinas invadit, jamque meliùs  
animata impensius pergit servitutum in-  
gratæ servire; quin, ut Sponso se proba-  
ret, ex ipso ulcere pus exugit. Meruit  
hæc sitis alterum haultum, quem ex late-  
re suo dilectæ CHRISTUS propinavit.  
Illa ab hæc ambrosiâ jam ebria porrò au-  
sa est petere, cor amans sibi haberet. Su-  
peri, quis fidem daret! nisi amor homi-  
num tam obnoxios vos sciremus? Au-  
fert C A T H A R I N Æ cor C H R I-  
S T U S, & suum reponit. Tunc profectò  
expleto amantium voto, CHRISTUM  
C A T H I R I N A cor suum: suum  
S. C H R I.



274 VITÆ SANCTORUM. 29. April.  
CHRISTUS CATHARINAM  
vocare potuit. Ex Surio.

*Difficile imò impossibile est, ut & præ-  
sentibus, quis & futuris, fruatur bonis; ut  
& hic ventrem & ibi mentem impleat; ut de  
deliciis transeat ad delicias; ut in utroque  
seculo primus sit: ut & in celo & in terra  
appareat gloriosus. S. Hieron. Epist. 14.*

S. ROBERTUS ABB. 29. Aprilis.

**R**OBERTUS gente Campanus na-  
taliū decus virtute ad immortalē  
memoriā illustravit. Nondum erat edi-  
tus in lucem, cū Ermgardī matri per  
quietem objecta Deipara annulum ob-  
tulit, eoque sibi clausum utero infantem  
despondit. Quem natum sic Ermgardis  
eduxit, ut sacro pactæ virginis connubio  
dignus redderetur. In Cellensi Ascete-  
rio Monachum indutus, diversis cum  
supremâ potestate cœnobiis præsedit,  
religiōsæ potius disciplinæ, quàm cu-  
mulandis opibus intentus. Accidit, ut ad  
portas duo sacris initiati, sed egentes,  
ab ROBERTO stipem præstolarentur.  
Negabat penoris præfectus vel unum pa-  
nem reliquum esse. Ad prandium signo  
excitis domesticis, Abbas, conspectis  
in mensâ panibus, unde illati essent,  
rogavit. Oeconomo respondente, se  
Fratrum numero æquatos panes reser-  
vasse, omnes tolli iussit, ad fiduciam &  
obe-



30. April. VITÆ SANCTORUM. 275  
obedientiam anxias suorum cogitationes revocaturus. Ex humanis abiit octogenario major, die jam prospecto atque indicato. Curam suorum ne à morte quidem posuit, increpare somnolentos solitus, excitareque ad divinas laudes, mirâ benevolentia, quâ tamen erga nos Angeli quotidie utuntur, exiguo operæ pretio. Quid vis? Deus ipse ad osium stat & pulsat; neque tamen expergisces. Ex Lippeloo.

*Christus per Mysterium suum tibi videatur in ore, & Christus per sui amoris incendium tibi vivat semper in corde, ut congruat etiam tibi, quod sponsa dicit in Canticis. Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi. S. P. Dam. l. 7. Ep. 19.*

SS. MARIANUS & JACOBUS MM.

30. Aprilis.

**A**Nnus ducentessimus sexagesimus secundus par nobile Martyrum habuit: MARIANUS alter, alter JACOBUS fuit. Et illum quidem pollice suspensum pondera talis annexa tentissimis nervis ad ima retrahebant; sed ad carceres reducti, animus in cælum abiit, æterni convivii promulsive recreandus, quam in pulcherrimum inducto triclinium, S. Cyprianus propinavit, haud gravatè pro unâ illius guttulâ omnem sanguinem daturus. JACOBUM interea

S. 2.

pro.



276 VITÆ SANCTORUM. 30. April.  
proprio Martyrum baltheo Angelus cinxit. Ita hic robur suum induit, alter bibit. Nec multò post novus cælo uentius mittitur de venustioribus ephebis, qui sero vice torquis indutus, & palmam ventians (nam & ipse nuper unâ cum matre & gemello trucidatus fuerat) MARTIANUM & JACOBUM ad martyrum condicere convivium jubet. Nec illi tam lautas epulas aspernari, aut morari diutiùs ausi, postera die dederunt solum ambo capite plexi. Nihilominus equites toto duffusi cælo malum minari carnificibus visi, qui tam candida innocentia lilia demessissent. *Ex Surio.*

*Dies noster ultimus, certissimum est, nobis quòd veniat; incertissimum est, quando, vel ubi, vel unde nobis adveniat: nisi quòd senibus est in januis, qui juvenibus est in insidiis. Guerr. ser. 3. de Advent.*

B. FRANCISCUS SENENSIS.  
30. Aprilis.

**E**TIAM FRANCISCUM viderunt Senæ libertatem mundi repudiare, & servis VIRGINIS accedere. Quamquam non tunc primùm transiit in servitutem VIRGINIS; natus in hanc est. Siquidem mater FRANCISCO plena liliam sibi parere est visa, ex quo alia atque alia pullularent, quibus MATREM VIRGINEM coronaret. Videbatur deinde



30. April. VITÆ SANCTORUM. 277  
de nescio quis, Pontificiâ majestate insignis scepro uterum tangere, spondereque, lili quod ferret, candori nihil obfuturas mundi spinas. FRANCISCUS denique lustrico fonti admotus, plus quam pueriliter exultare est visus, oculosque suos in jam tunc suum ocellum, MARTÆ iconem defigere. Jam pueritiam ingressus, quotidie quingentes Ave DOMINÆ suæ dixit, orationi extratempora Musis dicata tam deditus, ut non in domo paternâ, sed templis habitaret. A sellum (itaquam nos ad instar catelli Melitensis habemus, carnem appellitabat) saxo & flagris exercebat. Pro concione omnium animos incendebat, ut fidem habeam virginibus, quæ volantem supra dicentis caput igneum globum se vidisse affirmarunt. Adversus obtrectatores opem flagitanti PATRONA VIRGO auditum abstulit, ut surdis auribus præteriret calumniantes. Sub mortem ante dicentis vultum Angeli librum explicarunt. Librum vitæ credidero fuisse, & in illo FRANCISCUM nomen suum legisse; tam hilaris post obiit, & quidem die, quo Christo cælum patuit. Ex demortui ore lilium ajunt natum esse, scilicet ut vobis, Sodales, pietatis in VIRGINEM semen esset. Ex Bzovio to. 13. Ann. Eccl.

*Imitare minutissimas aves, mane & vesperi Creatori gratias referendo. Et si es devotior, imitare Lusciniam, cui quoniam*



278 VITÆ SANCTORUM. 1. Maii.  
*niam ad dicendum laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilenâ decurrit. S. Max. serm. de Carn. host. non timend.*

SS. PHILIPPUS & JACOBUS  
APOST. 1. Maii.

**G**emino dies hic sole nitet. PHILIPPUS alter, alter JACOBUS est. ille vix inter hominum piscatores adle-  
tus, captum illico ad CHRISTUM Nathanaelem adduxit, laudatam ab ipso Servatore prædam. Sed & ii, qui à veri Numinis cultu alieni erant, ad JESUM aditum sibi per PHILIPPUM quærebant. Illum in consilio Magister habuit, cum ingenti multitudini comæatum pararet: illo rogante discipulis in filio patrem ostendit. Hinc cum in sortem paucorum totus orbis veniret, provinciam ipse nactus Scythiam, eam facile CHRISTO subegit, victorque sub annum IV. & L. Hierapoli urbe Phrygiæ in cruce triumphavit; cum lapides viles jactantibus, sed pretiosi PHILIPPO triumphalem coronam multò pulcherrimè exornarent. Et hujus quidem triumphus de Barbaris; de Judæis JACOBI fuit. Hic carne & vino à teneris sibi interdixit: longâ precandi consuetudine genibus callum obduxit, qui vel Camelo certaret: eâ famâ sanctitatis fuit, ut

S. IOAN DAM